
STEPHANI FORCATVLI IVRECONSVLTI EPIGRAMMATA.



Ad CAROLVM Lotharingum Cardinalem.



LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM,
ET GVL. GAZEIVM.
1554.

IACOBI PELETARII TETRASTICHON.

*

Forcatulus Leges Musis, Musasq; vicissim
Legibus exornat, gloria vtrinque pari.
Omne feret punctum : doctisq;, bonisq; placebit
Scriptor consilio clarus & eloquio.



CAROLO A LOTHARINGIA NOBILISSIMO PRINCIPI & CARDINALI, STEPH. FORCATULUS.

S.



VM primùm optare cæpi, vt hæc pauca Epigrammata tui nominis ſplendori dicata vulgarentur, fateor me ad eum prudentiæ gradum non perueniſſe, vt rectè diiudicarem, meum'ne hoc officium parùm conſultum crederetur, quia tibi principi Antiſtitiq; clariſsimo Gallorum Reipub. commodis feliciter addicto; & vehementer occupato puſillum quiddam ſcriberē. Cæterum diſcuſsit dubitationem meam neſcio quis genius, & conſilium meum priuſquam peractum eſſet, non probauit cum tu à tot honorum & dignitatum ornamentis, quibus te induſtria & fortuna certatim cumularunt, humanitatem propè ſingularem vinci

non patiare, cuius si nunc expers fuero, quid superest, nisi vt de me actum putem? eo magis quòd propter tam tenue munus quod nunc tibi dedico, magni me facinoris reum visum iri metuo: vt qui legibus publicè explicandis iampridem, nec omninò infeliciter, occupatus, adeò poëticis indulserim, vt iustum opus amplitudine tua dignum à me cōfectum esse mihi persuascro. Quòd si hoc nomine inter reos recipior, quid possum commodius quàm ad te, velut ad ipsius Galliæ tutissimum quoddam asylum ac perfugium, decurrere? vt eo mirificè confirmatus non tantùm censoris cuiuslibet obiurgationem dissimulare possim & propellere, sed etiam ipsammet Iurisprudentiam in culpæ & fraudis suspicionem discrimenq; vocare? ad quam amplectendam & ornandam cum iam totos viginti annos, vt potui diligenter, nauauerim, ætatis florem, laborem, diligentiam, attritis interim facultatibus consumpsero. Amplius etiam vereor, ne mihi fucum pergat facere, dum adhuc animum meum alit & detinet, ne me diuturnæ molestiæ, quam vni iuris scientiæ acceptam refero, pœniteat: si forsan locus erit aliquando SENATVSCONSVLTIS, Tolosæ & pridem & diuinitus fa-

ctis

ctis de iuris ciuilis interpretandi honesta magis quàm quæstuosa functione: ob quam nunc nec inter ita multos, nec, vt suspicor, imperitos competitores distineor. placuit nanq; patribus in hunc Senatum allectis, vti quantùm quisque prælegendo disputandoq́; alios præcederet, tantùm is in obtinendo munere (quoniam id è Republica esset) potior haberetur: ne quis largitione aut gratia aliorum præmia ereptum iret: ne've in florentissima Europæ Academia ius deesset: ad quam propter ius perdiscendum ex omnium gentium & regionum delectu, iuuentus ingenua confluerent. Interim, ne ego nihil ex literis emolumenti assecutus crederer, institui perpaucis horis, quibus legum quasi feriæ indictæ essent, ad mansuetiores musas otium traducere. Elegi verò scribenda Epigrammata, breuitatis non ostentationis ratione. nam ad hoc materia vberior elegi poterat, quanquam nec ipso quidem die quo nuntium Iurisprudentiæ subtristis misi, & sua me conditione non vti attestatus sum, iuxta veterem morem repudij, nec paulò superioribus, quibus versus tractaui, ab explanando iure coram bis mille auditoribus (ne omnes percenseam) destiti. Hoc itaque munusculum, quale est, pro le-

nitate bonitateq́; naturæ tuæ etiam inter ſacras & arduas Regni occupationes tibi vtcunq; gratum fore, & opto, & ſpero : tum quia nec gratiarum nec muſarum expers es, tum quia nondum quiſquam fortunæ tuæ molem niſi benignitatis magnitudine ſenſiſſe traditur. Vale. Toloſæ quarto Cal. Septembr. 1554.

Ελπὶς ἄνευ ἐλπίδος.



STEPHANI FORCATVLI BLITERENSIS IVRECONSVLTI EPIGRAMMATA.



De Henrico huius nominis secundo Gallorum Rege.

Lilia iam nigros florescent alba per Indos,
Prosper vt Henricus Gallica sceptra beat.
Ver Arabum foueat Francûm lætißima rura,
Bella vel his absunt, vel benè gesta vigent.
Expiat antiquas ingens victoria clades:
Quærereq́; est hostes, non superare, labor:
Nunc media est Gallis regio, quæ proxima quondã:
Astraq́; iam liquido tramite fama petit.
Rex edicta dabit populis, quos frigidus ambit
Rhenus, & ijs Nili qui didicêre caput.
Qui Phœnica vident sternentem cinnama nido,
Et mellita quibus Sachar arundo parit.
Blandiri obijciat me quilibet, haud moror, vt qui,
Digna meo quæ sint Principe, facta velim.

De imbre repentino.

Alternis subitus Septembri lusitat imber,

Vitiferis ne Sol collibus officiat.
Versicolor pluuio mox æthere pingitur Iris.
Sic nimbos pueri credo fuisse Iouis.

Cato Vticensis sibi mortem consciscens.

Num solitus victis toties ignoscere victor,
Orabo vitam, ter miser, & veniam?
Num genibus supplex obuoluar Cæsaris? absit,
Vt Cato, quæ non sint digna Catone, ferat.
Mox implet ferro, virtute, & sanguine pectus:
Non pede quæro fugam, dixerat, imo manu.

Quòd falsò Aeneas pius habitus sit.

Coniugis & patriæ Cythereius immemor Heros,
Vel memor vxoris proditor, & patriæ:
Fert humeris flamma ereptum & cæde parentem,
Sat dignum, fateor, quod veneremur onus.
Effœtum Anchisen tenera pro coniuge mutat,
Institor vt mercis callidus Argolicæ.
Dißimulent tandem primordia Teucra Quirites:
Bis malus est, ficta qui pietate nocet.

Tempore omnia mansuescere.

Rhea Celenæos fertur iunxisse Leones,
Atq; iugo fuluas supposuisse iubas.
Flexilibus ceruum mulsit Cyparissus habenis,

Lætus & in tergo ſæpe reſedit eques.
In medijs Elephas ſaltauit ludicra circis:
Altilis Auſonia vixit in vrbe Draco.
Aßyrium docilis puerum Delphinus amauit.
Pſittace, tu noſtros reddis, eoe, ſonos.
Miteſcunt truculenta modis animalia multis,
Et proprio tempus numine cuncta domat.

De Iuriſprudentia & Poëſi.

Me reuocat medio legum prudentia curſu,
Pellicis & Cliûs me vetat ire domum.
Leniter hæc vultu rurſus me ducit amœno.
Illa ſeuera docet, ſed nec amœna nocet.

De Catharina à Medices Regina Galliæ.

Languida ne fieret metuebat Gallia felix,
Et notum Phœbo vertit ad aſtra caput.
Cui deus: i Thuſcam Medicen, Florentia carpet
Lilia, pontificum numine freta ſacrûm.
Regia nanq; manus fati contingere metas
Hæc dabit, vt Phœbo credidit illa, valet.

Virtutem & gloriam labore parari.

Gloria virtutem ſequitur, virtusq́; laborem.
Qui mel vult, & apes tollat, honoris onus.
Hinc heros meritis ſcandit Tirynthius aſtra,

Prodigus & vitæ, laudis & vsq; tenax.
Imperiosus eum sacrauit mille periclis
Eurystheus, alter præcipit, alter agit.
Indigetem virtus sola hunc pulcherrima traxit.
Quodq́; humeris cœlum pertulit, hoc habitat.

Ad Clytiam.

Suauiola & violas labris manibusq́; dedisti,
Suauiolis odor est, qualis & est violis.

Lenitatem iudici conuenire.

Quas Draco perdoctis leges vulgauit Athenis,
Perscripta scitus sanguine dixit homo.
Nam si quis facinus ciuis patrasset, ob illud
Vel minimum, cultro percutiendus erat.
Non hæ sunt hominis leges, sunt nempe draconis:
Æeacus has Vmbris non neget esse truces.
Nolo magistratus sæuos, admitto seueros,
Atq; reis facili cum grauitate pios.

Cur Garumna fluuius mense Maio increuerit.

Ite procul vates, ex me nunc discite causam,
Cur rapidus verno mense Garumna tumet:
Cur nunc vastat agros & florida prata tyrannus,
Ruraq́; Salmo frequens cur per amœna natat.

Num fortè aërio niuibus de monte solutis?
Imbre vel immodico? nil minus. ergo quid est?
Intumuit fastu pulchram quòd perluit vrbem,
Quæ peperit Clytiam, mentior, imò deam.

Ad Catonem Vticens.

Te, Cato, cur perimis metuis dum Cæsaris iram?
Bello etenim belli præmia iure petit.
Elogium hoc Libyco fas est incidere busto:
Stoicus hic quondam ne moreretur, obit.

De Delphino regio.

In cœlo, inq; mari, & terra, Delphinus habetur,
Vt sydus, piscis, Rege parente puer.
Clarius haud sydus, piscis non ocyor alto
Tingitur Oceano, sed puer ornat humum.
Aurea neuerunt puero subtegmina Parcæ,
Imperio vt Solis frenet vtranq; domum.
Præstituet leges pelago, cœlumq; subibit:
De tribus vt Delphin maximus extet humi.

Quæ dicata sint Veneri.

Est arbor Veneri Myrtus gratissima, flores
Tam rosa, quam volucres alba columba præit.
Igniferum cœli præ cunctis diligit astris
Hesperon, Idalium sæpe adit vna nemus.

Mons

Mons Erycinus ei celeber, laticesq; nitentes
Fontis Acidalij, queis sacra membra lauat.
Ora Pathos sacrata Deæ, Cyprusq; putatur.
Fallor, an & mundum sub ditione tenet?

Ad Aulum.

Pauper eris satiêre nisi, licet, Aule, fruaris
Fluctu Hermi, dapibusq; Midæ, Iouis imbre tonãtis.

Quî fiat, vt hodie viri strenui priscis inferiores in bello videantur.

Stantia turrifragis quatiuntur mœnia bombis,
Aenea cum flammas ore colubra vomit.
Nostra quidem varios ætas numeraret Achilles,
Hectora qui referat, res erit ista frequens.
Si tonat, & Tytion pertundet missilis ignis,
Quem manasse tribus suspicor à furijs.
Mortales finxisse luto sat præstitit olim,
At nunc conueniant ex Adamante magis.

Ad Ioannem Iac. Mesmium libellorum in Regia magistrum.

Lex tibi dat, Mesmi, clarum ciuilis honorem:
Tu contrà clari es summus honoris honor.
Quam prisco interpres quæsisti tempore famam,
Hanc redimat Baldis gloria Thusca decem.

Frondente in geminos dij tanquam traduce natos,
Serperet vt patrium constituêre decus.
Hinc laus parta seni, fortunaq́; proxima cœlo:
Neutra tamen domino redditur æqua suo.

Serum auxilium.

Cum fera tempestas sulcantibus æquora parcit,
Flammeus antennis lucet vterq; Lacon.
Hoc opis à gemino nequicquam sydere fertur.
Quodq́; venit serum displicet auxilium.

Ad Lindum solitudine gaudentem.

Pampinea tecum solus spatiaris in vmbra,
Et socium tanquam damna luemq́; fugis.
Nam vitem & quercum fidos ais esse sodales,
Quiq́; loquax tenui murmure riuus abit.
At natura hominem docet ad consortia natum,
Graculus vt raptor, vel cumulatur apis.
Mirificè felix semper Deus extitit, optat
Ille tamen comites numinis, atq; facit.
Et Phœnix epulis quanuis saturatur odoris,
Vndiq; pellectas carmine ductat aues.
Ergo caue solus cum mox meditaberis, vt non
Sit malus is quo cum, Linde, loquêris homo.

De Ioue.

Iuppiter in nimijs traduxit amoribus æuum.

Bos,

Bos, Aquila, aut aurum, mox Olor, aut ſatyrus.
Cœlicolûm vulgus dementem credidit, an quòd
Abſtulerit cerebrum nata Minerua patris?

Ad Appenninum Montem.

Appennine pater, quò non vicinior alter
Syderibus mons eſt, gratior aut ſuperis.
Denſa caput canum longè vltra nubila profers:
Non vllo plus te monte ſuperbit humus.
Audis, ſcisq; Deûm quid ſancit curia, rebus
Et quantum Francis Iuppiter ipſe ſtudet.
Quàm tibi plauſibile eſt, quòd collibus inſita creſcũt
Aemula prægelidæ lilia Galla niui.
Dux melior quã vir te pertudit Hannibal, an gens
Galla ſuburbanæ præſit vt Italiæ?

Ad Philaſtrum.

Te ſola vixiſſe probas ætate, Philaſter,
Ingenui quænam das monumenta viri?
Præteritos longo percenſes ordine Soles,
Doctrinæ vt ſenium poßit habere locum.
Luſciniam cornix ſuperat, ſic coruus olorem
Tempore, ſed dulci cedit vterq; melo.
Sit veneranda licet iuueni longæua ſenectus,
Semper erit tyro qui male bella gerit.

De Aemilio Perroto Pariſ. ſenatore.

Delectum faciebat heri Parnaſia Clio

Gall

Gallorum è docto docta sodalitio,
Perrotum violas & mel mirata loquentem,
Lætor, vt Arpinas iste reuixit, ait.

Virgilius accusatur.

Virgilius reus est, ex vinclis dicere causam
Hunc decet, est probri conscius atq; necis.
Nam castam Aeneæ leno subiecit Elisam;
Cogit & inuitam Cypridos esse nurum.
His addit facinus: Reginæ callidus ensem
Quem Phryx præbuerat, pectore mox adigit.
Crimen an hoc Minos Lethes aboleuerit vndis,
Nescio, sed cœlum fraude disertus habet.

Ad Vescam.

Natali tibi, Vesca, meo Martisq; calendis
Annua fœmineis munera sæpe dedi.
His ruta cæsa velut, binos adiunximus hœdos,
Tu satiata minus me potiora rogas.
Diuos, Vesca, Midæ scito nocuisse petaci.
Plura petens, causa, lege iubente, cadit.
Veris honos rediýt, si nos, auidißima, vexas.
Consuetum amittes, dum petis insolitum.

De Hercule & Antæo.

Terrigenam Antæum Getula strauit arena

Alcid

Alcides ter, io, quisq;, triumphe, canat.
Sustulit hunc luctans, clausitq; in pectore pectus.
Sat misero tellus fauerat, aër abit.

De Arione & Delphino.

Lesbius vt cithara nautas mulcêret Arion,
Mœstior in puppi dulce celeuma canit.
Sed frustrà similes vndis feritate, precatus,
In medium iussus desilijt pelagus.
Protinus huic properans Delphin succurrere, prono
Exceptum dorso, littus ad vsq; tulit.
Non potuit fidicen homines, sed flectere piscem.
Eximit hunc fluctus, merserat ante ratis.

Ad Dinnam.

Inconsulta puto vidisti Gorgona quondam:
Nil facis, atq; siles, sis quasi, Dinna, lapis.

De Aufidio & Didammia.

Aufidio nupsit nolens Didammia cano,
Qui centum autumnos vix numerauit heri.
Est data sic Phrygio rutilans Aurora marito,
Tethis & Oceano cærula iuncta seni.
Fallitur Aufidius, non illi ducitur vxor.
Regina est vetulo pulchra puella viro.

De violis per brumam natis.

Admittit violas alienis mensibus annus,
Pendula cum tectis obriguit glacies.
Nereidesq; gelu minui sua regna queruntur.
Pro rate fert iuncto flumen aratra boue.
Iam madet vrnigero in puero coma fulgida Solis,
Et stolidis pingi floribus audet humus.
Ver lætum si bruma refert, imitabitur æstas,
Augusto & canam fundet inepta niuem.

De naue incendio absumpta.

Palmiferæ campos dum nauita quærit Idumes,
Eximiam absumpsit naufraga flamma ratem.
Natura indignante rates ars improba fecit.
Terra dat has, ignis, ventus, & vnda vetant.

Iac. Dalbono à santandre, Galliæ
Mareschallo nobiliss.

Persimilis Mario, sed docto, prælia tractas.
Consilio nauas, belliger atque Cato.
Te multa nunquam satias virtute, nec vnquam.
Nobilitas proauûm fit numerosa satis.
O quoties horum gladij, dum cæditur hostis,
Fit deforme, sed hinc gloria pulchra manet.
Intimus hinc Regi es. vix audent numina dotes
Has spondere alij, quas tribuêre tibi.

Non minus aliis quam sibi, cuiuis laborandum esse.

Laudat Aristæus mella obliquentia solers
Pastor apem, vernis plurimus in violis.
Stulta sed hæc volucris veris prædatur honorem
Aßiduè, fructus nil parit inde sibi.
Prætulit vt frugi formicam ignobile vulgus,
Agmine quòd rapiat tritica flaua nigro.
Sedulitas hæc pigra mihi desesq; videtur.
Qui proprijs cumulat publica lucra, sapit.

De Lydiæ lacrymis.

Inuitis lacrymas fallax expreßit ocellis
Lydia, dum læso fœdere valde queror.
Ora ego perspicuis dum tingi candida gemmis
Aspexi, lacrymas miscui & ipse meas.
Quot guttas visa est, totidem fudisse fauillas,
Queis magis accendor, quàm Vesuuinus apex.
Heu, quænam misero requies seruatur amanti,
Si fluit ex tenui maximus ignis aqua?

Ne quis altum sapiat.

Dum nubem Ixion nimio complectitur ausu,
Inuisum genuit dijs hominiq; pecus.
Qui numerat stellas, cœlum metitur, & altum
Aßiduè explorat, talia monstra parit.

Posit

Positum Manibus Vmberti Forcatuli patris.

Quid faciam superi? mœror me nanq; superbus
Incitat, heu nimium læsus in astra feror.
Extorsit vitam iuueni diuturna parenti
Febris, ob id lacrymis lumina nostra natant.
Vixq́; nouem lapsis, cessit vicesima messis,
Et quæ neret adhuc stamina Clotho habuit.
Inuida felicem quem sensit Parca futurum,
Præripuit, stellis præda fit ista lucro.
Ecquid supplicij, superi, seruatis iniquis,
Si probus hic dira febre peremptus obit?

Ad Phœbum.

Phœbe, tuo cum fonte vale, tu Musa valebis,
Res iubeo æternum nunc tibi habere tuas.
Quid sequar ex hederis, Helicone et carmine tādē?
Nam me malua, lacus, rana, perinde iuuent.
Cùm melos & frondes sint præmia vana poëtis,
Bis nocet iste labor qui sine fruge venit.

Mittit rosam ad Iac. Claremontium, Episc. Sancti Pontii clariss.

Mitto rosam, biferi non est hæc filia Pæsti,
Dissitus hinc calaber, præsul habetur ager.
Hanc Dryadum pollex nostris decerpsit ab hortis:

Tempore qui vernus, flos quoq; verna loco est.
Hæc primùm in virides alabastros paruula gēmat,
Candida, vel Veneris sanguine tincta rubens.
Et croceum ostentat complectens vndiq; lutum,
Conuiuamq́; vocat flos patefactus apem.
Cyprinusq́; tuo flos sic, vt pulcher, odorus,
Bis rubet æterno vix benè par animo.
Inuida cur spinis temerat natura rosetum?
Gratia cur've rosas tam cito tanta fugit?
An quòd lætitiam mœror magis insitus auget?
Raraq́; nos solitis gaudia plus recreant.

Ad Romulum.

Cùm noua fraterna fœdasti mœnia cæde,
Romule te genitum non'ne fatere lupo?
Gradiui cur te mentiris sanguine cretum?
Et lupa sat docuit parcere sæua Remo.

Malo carmine laudari gaudet.

Sat malè compacto decorat me carmine quidam,
Hoc tamen obstrictum nomine me fateor.
Lege se Alexander pingi minitante vetabat,
Ni fuit à Coo ductus Apelle color:
At si ego (quod nolim) sim Rex, te fingere vultus,
Pulcher Apelle, meos, te Polyclete, vetem.
Miretur vulgus claram ne impensius artem,

Quàm

Quàm mihi num fuerint ardua gesta petat.

Io. Rupæo Iurisc. disertiss.

Tam benè quod cupias nobis, vt gaudeo, miror,
Demerui quouis non ego te officio.
Tot Rupæe fauos non gignit Hymettia rupes,
Nec iuga tot nymphas Cynthia vere vident.
Gratia quin à me maior referatur in æuum.
Nomina, qui gratum prouocat, ille facit.

De mentis humanæ hominisq; præstantia.

In terras hominum demissam ex sydere mentem
Nouimus, in cœlum quæ reditura viget.
Hanc fragili æternam vallauit corpore mirus
Ille opifex. Nardum fictilis vrna capit.
Mens Regina caput summam velut incolit arcem,
Cœlestis proprior sic fit origo domus.
Hinc, ceu de specula, terras scrutatur & altum,
Et quæcunq; videt, fas sibi scire putat.
Cùm deus in nobis vegetet, sedemq; locarit,
Auctus mortali sorte videtur homo.

Ad P. Gillum, qui Phœbum versu laudauerat.

Incusas illo Phœbum quo carmine laudas,
 Gille,

Gille, sit Hyblæos dulce vel ante fauos.
Condidit hoc Phœbus, musis vel testibus, i nunc,
Vix poterit, cum se laudet, abesse pudor.

De M. Crasso.

Laudis magna fames, auri sitis impulit ingens,
In Parthos Crassum bella ciere truces.
Ausoniæ vires fractæ sunt alite telo,
Nam Parthi à tergo missa sagitta volat.
Sic Aquilas, vitamq; miser, famamq; reliquit:
Atq; auidus nummi, Dux quoq; laude caret.

Ad Melicertum.

Nuper vt interijt Tirtanus, curia sensit
Iurgia, te hæredem quòd, Melicerte, geris.
Instant cognati. Danais non deniq; Teucris
Patroclo extincto pugna fuit grauior.
A moriente trahis veterem, centesime, ramum,
Nec pudet ad Druidûm secla referre genus.
Vis tibi consultus caueam? lis vertitur anceps,
Si malus est iudex, sat tibi causa bona est.

Virtute laudem quæri iis, qui obscuri sint.

Thessala progenuit Centauros ora bimembres,
Nequius his toto Sol videt orbe nihil.
Strenuus à solo Chirone docetur Achilles:

Prælia, rem medicam, ſydera, iura, lyram.
Nunc octo poſt ſigna micat cœleſtia Chiron.
Nam genus haud oberit, mens modo recta iuuet.

Epitaphium Franciſci I. Francorum Regis.

Mars, Phœbus, Pallas, Regi ſtatuêre ſepulcrum.
Cum quo ius, carmen, fortiáq; arma iacent.

Aliud eiuſdem.

Rex vbi Franciſcus fatis conceſsit, an extat?
Quem pigeat gallo mortis in orbe citæ?
Quicquid habet hoïes, quicquid pia numina donant,
Rex habuit, fatis ceſsit at ille tamen.
Planctu aër creuit, lacrymis mare, munere tellus
Corporis intumuit, mente nitente polus.

Ad Elnium.

Et cœli & legum triduo vis eſſe peritus,
Conatum toto riſimus hunc triduo.
Cuncta rudimentis ſcito conſtare, nec vllum
Sat doctum fieri poſſe repente virum.
Multa dies docuit cæleſtia lumina noſſe,
Serò Helice graij vela dedere duce.
Legifero iuris primordia cede Quirino,
Poſtea qui melius iura poliret, erat.

Si quæ animos habitant, has vsus comperit artes.
Vsus, doctrinæ solus in orbe parens.

Ad Lausam.

Indo dente tibi frontem splendere politam
Cerno, humeros fertur sic habuisse Pelops.
Bisq; nouem permensa tuæ quinquennia vitæ,
Eumenis vna trium, quarta videre Charis.
Loricas faciem, quæ non magis extitit ante
Candida, rugosum quàm solet esse piper.
Nil est, Lausa, tuus nisi larua precaria vultus,
A domina quem tu pyxide mane rogas.

Ad Gaurum de Cl. Terlone causidico.

An iustum est ideo quòd pro te Terlo disertus
Orat, Gaure, scelus dissimulare procax?
Si coram geminis Paridem defendat Atridis,
Absoluet Phrygium pronus vterq; Parim.
Diceret & causam rursus si Terlo Milonis,
Extorris nunquam nauiget iste Rhodum.
Publica vis armis à te est admissa, patronus
Plus habet eloquij, plus mihi iuris adest.

Ad fortunam.

Fortuna, incassum diuûm tibi poscis honores,
Te cæci cæcam finximus esse deam.

Nil

Nil premis aut effers, nil das, nil detrahis, & nil,
Cùm sis nulla, facis, te mage nos facimus.
Ne'ue pilæ incumbis: cæli quoq; finibus exul,
Tam malè nomen habes, quã benè numen abest.

Deum opt. max. mira pietate in terras demissum fuisse.

Vt profecturam perducant numina classem,
Vt perflent Zephyri lintea panda leues,
Aulide rex danaûm natam mactauit ad aras,
Insontis potuit flectere forma patrem.
Sic miserans homines fulgentis rector olympi,
Arboris vt doctæ tristia fata luat,
Innocuum morti Christum submisit acerbæ,
Venit humum, populo sic dedit astra suo.

Omnia in dies deteriora fieri.

Pythagoræ, quondam tacitus qui plurima dixit,
Sola dies sapiens creditur esse, nego.
Ecquid nanq; die videas incautius vsquam?
Omnia cùm faciat deteriora dies.

Ad Caluum.

Principibus, demens, insultas vndiq; versu.
Pontifici gladios nec sinis esse duos.
Marte satæ genti gladios an demere tentas?

Mendicas proprium cur tibi, Calue, malum?
Per iugulum hæ voces rursus, mihi crede, redibunt,
Herculis affectes ni magis inferias.
Lethiferis salibus parce, aut dicteria cogent
Tam stultæ pœnas te dare lætitiæ.

De Protheo.

Cordyllas, plebemq; maris captauerat hamo
Protheus, dum visa Doride captus abit.

Horti.

Iam decies aurora nitens illuxerat orbi,
Cùm Cytherea dies vernos sibi vendicat, & cùm
Iam rediit bicolor quæ non mitescit hirundo.
Dilectus Veneri quales voluisset Adonis
Hortos ingredior, fecere rosaria sepem,
Qua pecus & fures spinis arcentur acutis.
Hîc violæ, hîc calthæ florent, quas mellifer ambit
Rex apium, stridetq; sequax exercitus omnis.
Cogitur è varia mellis vindemia fronde.
Hîc lasso recreant heroïca lilia collo.
Area mille olerum mater iam credita fundit
Semina, flent vites lætæ, cùm prorsus odorum
Sudarunt rorem fulgenti sydera nocte:
Quæ gemmis similes guttas peperere rotundis
Stant porri, lactuca sedet, mentæq; vagantur.

Corycio nec monte croci ſit copia maior.
Hanc cuperent ſedem naſcentia gramina longè,
Myrrha nefas lugens, quicquid ſol educat Indus.
Hanc, Hyacinthe, cupis gemino pro ſanguine Regũ.
Sordidus arcet aues iligna falce Priapus,
Oppoſita quem ſæpe manu riſere puellæ:
Dum lauat innumeros riuus ſine nomine flores
Ductilis, & ſcatebris arentes temperat herbas:
Qui niſi perſtreperet, tacitos prope dixeris Hortos.

Peccata tandem puniri.

Felices nimium quidam vixere Tyranni
Inq; deum teſtes penè fuere pijs.
At deus vt clemens, indulget ſæpe malignis,
Prouocat ad vitæ quos melioris iter.
Aut ad ſumma vehit rerum faſtigia, caſus
Vt grauior, tanto vertice plus noceat.
Addicitq; animum flammis: in carcere lictor
Lautius hos paſcit, quos iugulare parat.
Priamides Sparta rediens, alijq; fatentur
Gaudia cum triplici fœnore vana lui.

Stephano Poterio libellorum in Regia magiſtro.

Quas tibi virtutes induſtria protulit, illas
Pauperies multis imperioſa facit.

Ingen

Ingenio præstas, comes est sors fausta, propinquum
Te puto fortunæ, te puto vel superûm.
Extulit illustri francûm te munere princeps,
Par decus hinc à te nobile munus habet.

De Clytia, quòd perpetuò amaturus sit.

A fuscis poterit spirare Fauonius Indis.
Flamen ab herculeis Gadibus, Eure, dabis.
Immemor ipse meæ Clytiæ si quando videbor,
Leucadio à scopulo non si ego desiliam.
Quin noctu pluuium citius mirabimur arcum,
Solq; domo Hesperidum mane propinquus erit.
Quàm capiat lepidæ me fœda obliuio nymphæ,
Lethæo nec si flumine potus eam.
Hanc inscripsit Amor fuluo in præcordia telo.
Dulcia fecit Amor vulnera, tempus alit.

Ad Golgum.

Plurima das, fateor, sed plurima, Golge, reposcis.
Quæ venire cupis dona, perire iubes.

Ad Iurisprudentiam, tunc cum ei annos x v studuisset.

Da mihi (si qua fides) quidnam? da munera, nūmos:
Hæc te pollicitam nolle negare decet.
Stultus ego studui quindenos iuribus annos,

Et

Et ſcio quas leges Itala turba vomit.
Quid ſupereſt? laudabor, ais, me ludis inanem:
Nondum aliquid laudis noſtra crumena videt.
Et lauder potius, vellat niſi Bartolus aurem,
Dum tangi digitis ſydera poſſe puto.
Magna terrigenas mugirem voce gigantas:
Aut Paphiæ canerem dulcia furta deæ.
Ornarent flauis hederæ me, Diua, corymbis.
Nec tu pro nummis verba ſubinde dares.
Vtq; dares, feci, dolus eſt, i, duceris in ius,
Aut luſtrum ob cauſam, perfida, redde triplex.

De Obri fluuio.

Cemeno de monte niues depaſcitur Obris
Et ſalſum dulces in mare mittit aquas.
Vmbriferas inter ſalices ripamq; virentem
Concitus Idæo plus Simoënte fluit,
Nec pontem indignans qui ferre Garumna iubetur,
Populea poterit ſic recreare coma.
Pacifera æternis folijs quid Palladis arbor,
Propter quam ſterilis ver ſibi fingit hyems?
Emeritum pluuius cum vexat Aquarius annum,
In fluuium credas ſe vomuiſſe mare.

Ad Cæliam.

Præſtat emas maciem, mea Cælia, charior vt ſis,

Vt caper à nitida ſit procul iſte cute.
Diua lepôrifero cingat te Cypria Ceſto,
Longior hic vlnis ſi queat eſſe tribus.

De Franc. Santandre Præſide pariſi. Max. Ad Apollinem.

Pythie, ſeu medio Delphos te detinet orbe,
Te ſiue Amphryſi ripa fluentis habet.
Huc ades, at tantus, quantum te Mantua vidit,
Dardanium cecinit quando poëta virum.
Moliar vt mentem Santandre præſidis æquam
Dicere, mira quidem, vera perinde canam.
Hîc noſtrum iuriſq; fuit labentis Aſylum.
Quid ſtertis? perij, me niſi Phœbe iuuas.
Agnoſco: meritæ referas ſi præmia famæ,
Non ſis ſoluendo, nec numerare queas.

Litem pactione finiendam eſſe.

Ancipitem Alcides pugnam cum Marte ſubiuit,
Pugnæ Heros optat, ſed mage ſerta, Deus.
Contendunt animis, alternáq; brachia iactant,
Vt non ſit mirum vincat vter potius.
Iuppiter ambobus metuens, hos fulminis ictu
Diſcuſsit, tonuit tunc ſine fæce dies.
Prudenter dubiam ſedat tranſactio litem:
Cedat vterq; vltrò, neuter vt inde cadat.

Ad

Ad Hauentem.

Regule plebis Hauens, cur te maioribus æquas?
Subde miſer dulci colla proterua iugo.
Ex varijs citharam fidibus conſiſtere cernis.
Coruinum ex paribus redderet illa ſonum,
Stellarum plebs eſt, ſunt regia ſydera cælo.
Noctiuagi Solem non'ne ſequuntur equi?
Vltricem Nemeſin, niſi te metiris, habebis,
Nam benè qui paret, fortiter ille regit.

Ad Iuſtinianum Imper.

Permutaſſe refers veterum te dogmata, Princeps,
Et legem antiquæ ſubſtituiſſe nouam;
Lorica vt lycij mutata eſt aurea Glauci,
Aerea Tydides cui dedit arma ſagax.
Iura igitur mirè pretioſa recentia iactas:
At plures Glauci priſca fuiſſe volunt.

Ad Dialtam anum.

Vt puerum mater Berecynthia deperit Atyn,
Sic te Deiphobi forma venuſta capit.
Non Amor hos ignes, ſed Erinnis concitat, hinc tu
Frigidior ſcythico monte, Dialta, cales.
Cornicum & timidi præuertis ſecula cerui,
Te Niobe nondum ſaxea, vidit anum.

De Orpheo, quòd oratione dulci multa perficiantur.

Threïcius scopulis sensum testudine vates,
Atq; aures duris addidit arboribus.
A sæuo lacrymas extorsit Dite, canora
Voce ciens dulcem manibus Eurydicen.
Quid sibi vult antiqua, rogas, hæc fabula, lector,
An quòd is agrestes traxerit ore viros?
Immanes flectit regina oratio rerum.
Blanda nec alloquitur lingua, quid ergo? facit.

D. M.

Diuæ Margaritæ Valesiæ, Nauarræ Pyrenæiq; saltus Reginæ illustriss. de literis benemer.

EPITAPHIVM.

Regia Margaris & Sappho si carmine certent,
Hæc lasciua nimis, doctior illa fuit.
Vtraq; mirifico flagrauit amore, placebat
Valesiæq; Deus, Lesbiadiq; Phaon.
Si quisquam Sapphûs citharam laudauerit, idem
Explicet, an plectris sceptra minora putet.
Huic Rex frater erat, Rex vir, mens docta, quid vltra?
Occidit. Heu fateor Pallada posse mori.

Ad Iouem, vt pluat.

Da largum teneris Aprili frugibus imbrem,
Picta Iris vernos vndiq; cingat agros.
Iuppiter, an dormis, nec te mortalia tangunt?
An sitiunt nubes, nec rapiuntur aquæ?
Exuuijs nigræ plus arida terra cicadæ
Te rogat, vtq; loquens, os tibi pandit hians.
Peruia lux rimis fuscum penetrauit Auernum,
Immisso vt manes lumine iam trepident.
Ni pluis, ignifero puero cogente, redibis
Acrisiam, sed amans aureus, ad Danaën.

Ad Atracinum.

Ipse tua de mente malè, Atracine, mereris.
Peruigil ob studium corpus & illa premit.
Ni genio indulges, sic hospes vt hospite læsus,
Mentem vexatis ædibus eijciet.
Litterulas genuit nigras miro omine Cadmus,
Lethiferis teter debuit esse color.

Ad amicum.

Esse parum libros studiumq; salubria narras,
Non nego, sed quàm non viuere, malo mori.

Ad P. Ronsardum poëtam nobiliss.

Cum saxa & syluas traheret rhodopeius Heros,

Credo tui ſimiles elicuiſſe ſonos.
Ardua non fruſtra committent prælia Franci,
Si, Ronſarde, tuæ ſit tuba iuncta lyræ.
Aeternum facies victuro carmine Regem:
Rumpere nec Lacheſin licia grata ſines.
Docta Hippocrenes hauſiſti flumina vates.
Migraſſe in Gallos aut Helicona putem.

Carolo Coſsæo Briſſaco, Mareſchallo Gall. & ad Alpinum ſaltum Viceregi.

Perfregit gelidas Alpes vis Punica flammis.
Nunc patet hîc bellis ingenioſus ager.
Quem tibi Rex credit, quem ſic, Coſſæe, tueris,
Participem vt regni te putet Auſonia.
Aſtra alius ſcandat ſupponens Pelion Oſſæ:
Alpini colles te ſuper illa ferent.

Ad Condylum.

Sat ſapis à cœna, digitos ni, Condyle, motes.
Ebria ſola tui creditur eſſe manus.

Gelio Arto.

A te laudatur (nihil improbo) Muſica, ſed nec
Iuribus æquabit iure quis, Arte, melos.
Aurata non ſi cithara proluſerit Hermes

Ante

Ante deûm mensas, vel patre digna canat.
Harmoniam superat lex, quanuis aspera, dulcem
Continet hæc mundum, continet illa chorum.

De Bartholomæo Faio, in magno consilio Senatore.

A iuris pelago tenui secernitur isthmo
Fons Phœbi, vt Faius iura dat atq; notat,
Quo duce nemo Euros timet, aut diuortia fluctus.
Saccharis & lactis sed mare tutus arat.

Ad Anaxagoram philosophum.

Vadis, Anaxagoras, patria quo, quæso, relicta?
Doctrinæ an flamma mens tibi tacta calet?
Sed scio quid sentis, digito dum sydera monstras,
Esse putas veram sydera tu patriam.

Ad Tereum Thracium.

Cur linguam vellis Philomelæ, perdite Tereu?
Pluto tuum sciet hac mox recitante scelus.

De duce Mantuano principe clariss.

Ilios à Danais, sed plus vexata poëtis
Virgilij in cœlum nobile tollit opus:
Sed cum ex Aenea puerum cantauit Iulum,
Mantua tunc vatem, nec tulit vna ducem.

Nunc dux atq; Ducis proles ſic luce coruſcant,
Lumen vt hinc geminus poßit habere Maro.

De Minerua quam pinxit Phidias.

Innuba ſuccubuit ſub agreſti iudice Pallas:
Cyprin in Idæis prætulit iſte iugis.
Caſta triumphata eſt peplo ſuccincta verendo,
Et Paphium currum victa coacta ſequi.
In tabula quam ſi ſpectet Cytherea, vicißim
Phidiaca pictæ ceſſerit vltrò manu.

Pub. Feſto.

Feſte, tuas ædes melius quis dixerit ædem,
Quæ Muſis ſedes eſt habitata ſacris.

Polymneſtoris ſcelus & ſupplicium.

Theſaurũ vt rapiat tibi Thrax, Polydore, tyrannus,
Oblitus partes hoſpitis, hoſtis init.
Te, puer, obtexit telorum ferreus imber,
Vt Phrygium te Thrax prodidit Argolicis.
Vlta parens Hecubæ ſcelus eſt, captiua dolensq́;
Sub genero proprium diſperijſſe genus.
Huic oculos fodit, malè queis aſpexerat aurum.
Polluit vt clam fas, ſic luit inde nefas.

Ad Lopſum.

Scitaris cui, Lopſe, viro tua carmina mittas:

Nulla

Nulla viro, Liparis sed mage mitte deo.
Hæc certè ignipotens multum Vulcanus amabit,
Nanq; simul varo nititur ille pede.

Troïlo Vrsino principi Rom. in Gallia agenti.

Gens, ætas, nomen, mens indole, Troïle, præstans
Te Priami puero constituêre parem.
Spe similis, potiorq́; animo, fatisq́; benignis,
De quouis spolium victor Achille feres.
Troiugenæ dicent Galli, queis subuenit, alter
Troïlus ex astris, an magis Hector adest?

Ad Apellem.

Emersam ex vndis Venerem cur pingis Apelle?
Spumifero natam tu mage pinge mero.

Amorem marinis fluctibus incertiorem esse.

Quàm scitè genitam dixerunt Cyprida Ponto
Antiqui, fluctus sunt vtriusq; graues.
Vis tamen haud vexat timidos aquilonia nautas,
Quandoq; quin curuet lenior aura sinus.
Aßidua sed Amans vrgetur quisq; procella.
Sic Luna occiduum fertq́; refertq́; fretum.

De ramo aureo, quem induxit Virgilius.

Est situs vmbrosi lucus præ finibus Orci,
Arbor opaca nigris vbi frondibus aëra complet.
Aureus hac tantum micat vnus in arbore ramus,
Vmbrarum fatale decus sacer arboris hospes.
Quem si quis poterit manibus vulsisse nitentem,
Ilico virga pari frondet suffecta metallo.
Hac visa, attoniti manes furiæq; tremiscunt.
Nauta nec in Stygijs vectorem respuit vndis,
Quin eat Elysias, Heroum præmia, sedes.
Sic Maro descripsit cœlesti concitus œstro.
Ingentes tenui pandens velamine vires
Virtutis, qua quisq; Deûm palatia quærit.
Transgressus miseræ iam mille pericula vitæ.
Virtus vna manet rami frondentis ad instar.
Ipsa sibi est hæres, melius rescissa virescit.

Ad Phalacrum.

Quod placuit dixti, Phalacer, quod displicet audi.
Qui nil prorsus habes quod misero obijcias.
Se dignas animus nequißimus incolit ædes,
Hospitis interpres est tibi lingua mali.
Hiscere non audes quoquam præsente, tacesq;
Rana velut si quam parua Seriphus alit.
Detrahis & rodis, ni quis defenditur absens.
Deserta in causa vincere perfacile est.

Ad

Ad Caluidum militem.

Posteritas, quanuis procul absens, Caluide, famam
Iam tibi dat, pandas hac veniente sinum.
Censu ac ære cares. quid tum? penuria multos
Ditauit quondam laude opibusq; viros.
Samnitum Curius scis vt contempserit aurum.
Scipio vel Reges vt superarit inops.
Aera meres claro Guysiæ sub principe, pugna
Nil metuens, turpem præter in arma metum.
Vix vnquam statuit deses timidusq; trophæum.
Quos audere videt, sors quoq; fausta iuuat.

Exerceat quiuis quod nouerit.

Quas didicit quiuis, tales exerceat artes.
Praxiteles sculpat, ducat & æra Myron.
Deÿcitur Phaëton præceps auriga, paternum
Dum sequitur currum, non ita consilium.

Ad Gallam.

Galla, genas scindis teneras, quia mater obiuit,
Vellis & hostili, proh dolor, vngue comas.
Deformis tu vix flectes Acherontia iura:
Ne'ue puta luctum demere caluitio.
Mœrorem lenire queas hunc tempore, tempus
Quod facit, hoc præstas si tibi, Galla, sapis.

Ioanni Bertrando Magno, Galliæ Procancellario illustriss.

Ex astris animos olim vir substulit audax,
Bertrande, eximio sed tuus igne calet.
Gallæ es iustitiæ columen, sydusq; tuorum,
Exhilaratq; tua laude Garumna salum.
Arsit & in cœlo lignum fragrantis Amomi,
Quando promethea te rapuere manus.

Ad Philerotem.

Nunc hortare pedes velox rediturus in vrbem:
Gaudia iam ruris tristis abegit hyems.
Quid iuuat insomnes musis impendere noctes,
Si tua perspiciat carmina nemo? nihil.
Quid iuuat insidias vafri perdiscere iuris,
Pro causa si non lege clientis agas?
Magna quidem occulti non extat gratia cantus:
Auditæ plaudunt festa theatra lyræ.
Viue igitur, Phileros reuocat te rure December.
Non etenim viuis rusticus, imò lates.
In villa tumulum vulgus te dicit habere,
Inscribuntq; omnes: hîc situs est Phileros.

Ad Hannibalem.

Romulidûm victor mox frangeris, Hannibal, hostes
Seriò cum non hos viceris, imò citò.

Nat

Naturam non mutari, ne morte quidem.

Quod ſemel innatum eſt multumq́; diuq́; recurrit,
Vixq́; dabunt mores vltima fata nouos.
Tartarus & teſtis, teſtisq́; Sichæus in illo:
Nam vetus hunc Tyriæ coniugis vrit amor.
Frigidus in cœlo ſequitur ſua plauſtra Bootes,
Vt ſegetem ſperans nunc quoq; lentus arat.
In cœlo leporem trudit canis: inſita prorſus
Vellere naturæ ſemina nemo poteſt.

Ad Hylen puellam.

Nec pauper nec pulcher, Hyle, te deperit Aulus,
Sic lepidam ſimus Naïda Faunus amat.
Non videt iſte magis ſemet quàm noctua Solem,
Luſcus amore tui, cæcus amore ſui.

De Pompeio Magno.

Pompeius, Magni cui debent ſecula nomen,
Qui Phœbi ad cunas arma tremenda tulit.
Qui dux conſilijs, miles qui ſtrenuus haſta,
Succubuit, fractis rebus, in Aemonia.
Et cuius partis latiſsima terra trophæis
Defuerat, tenui defuit & tumulo.

Non obtrectandum fœminis ad Lentinum.

Nil pulchrum, Lentine, probas quod fœmina præſtet,

Teq́; putas,hanc si læseris,esse virum.
Casta nec est Ithaci coniunx tibi principis,vrbem
Nec Dido in Libya condidit vlla nouam.
Penthesilea comam galea nec preßit Amazon.
Nec Thomyris spolijs Regis onusta redit.
Nasci forte mares albis ex dentibus optas,
Quos victo memorant esse dracone satos.
Threicij ne instar vatis lacerere, caueto.
Sit bona si mulier, lis iubet esse malam.
Hac ratione malam potius ni dicere ius est,
Nequitia insignem te male quòd peperit.

Io.Maludano apud Lemouicenses Aduocato regio, à quo græca Homeri opera dono acceperat.

Mœonios grato misisti munere libros,
Aßiduus scripsit quos tibi mentę labor.
Mancipio reddor nedum tibi deditus vsu,
Inq́; vicem versus hos,Maludane, capis.
Me Pæsto violas,Hyblæ mel,marmor Hymetto,
Hos tibi quòd scribam,mittere iure putes.
Cur ita? nam credam te Smyrna & Mantua vatē
Esse suum,numeros huius & huius habes.

Ad Iridem.

Si luit ætherijs subductum sedibus ignem,

Cui

Cui fibram in Scythia regia tondet auis,
Quid facies centum redimita coloribus Iris,
Cælestes rapiat cum tuus arcus aquas?
Nuntia forte Deûm furtis impune vacabis,
Mercurij furax cum sit inulta manus.

Ad Tarpum militum ducem.

Punica cum Fabius deiecerit agmina lentus
Eripuitq; sedens vrbis & orbis opes:
Iam latitas castris reduces ter, callide, lunas.
At non cunctaris, Tarpe, quid ergo? fugis.

Melchiori Monpesatio nobilis. Pictorum Seneschallo.

Quàm gente illustri, quàm mente, atq; ense, nitescas,
Scit Gallus, Scotus flauus, & hostis idem.
Non rogus herculea quondam plus luxit in Oeta,
Astra suis flammis hic adit, ipse tuis.

De Ceruo pulcherrimo.

Exiliens nemoris ceruus lætatur ab vmbra,
Muscosi nitido fontis ab amne satur.
Cui similem Diana aræ subiecit iniquæ,
Ne dirum fieres, Iphigenia, sacrum.
Et simili Alcides euulsit aurea nitens
Cornua, dum Zephyros vicit vterq; fuga.

Permulsit talem suaui poppysmate Turnus,
Cui tulit & Turni florea serta soror.
Auratis talem frænis, Cyparisse, domabas,
Qui tibi lætitiæ, qui tibi causa necis.
Præferat hunc exul Ceruæ Sertorius albæ,
Cuius Ibera tulit numine sceptra diu.
Si foret Actæon huic par, ô Delia, Ceruo,
Crudelis dici desinat iste pudor.

Fr. Reuergato disertiss.

Arpinum æquabis, si non & Rhetora vincas.
Qua ratioue, petis: fac, te imitere modo.

Nihil celerius tempore & occasione.

Est telum velox quod mittunt Iazyges arcu.
Et trifidum summi fulmen auisq; dei.
Pisæam celer est cursu qui captat oliuam.
Aequora vel Delphin cærula curuus arans.
Ocyor est agitans cum nubibus aëra Caurus:
Eq; suo migrans stella repente loco.
Aligerum tempus, nec non occasio pernix,
Plus fugiunt tacito, nec reditura, pede.

Ad Drancum liberius loquentem.

Cum de iure voles posthac contendere, linguæ
Si potes obstreperæ, sed potes, adde modum.

Futilis insurgis, nec te clamosior Aethna est,
Quando armare Cyclops vult Iouis igne manū.
Sic Dodonæos credo tinnisse lebetes,
Vt responsa Deûm cæsa orichalca darent.
Insipiens similes animos vox detegit, hinc tu
Non es facundus, Drance, quid ergo? loquax.

Ad Apollinem, de Fr. Bartono mombasio, cui frater est Guil. Bart. Lactorens. Episc.

Si tua fata scias, alijs præsagus Apollo,
Bartono, peream, tu benè si cupias.
Ingenuæ fecere parem tibi, quis neget? artes:
Et mores quales aurea virgo habuit:
Quid si te, fretus germano præsule, vincat?
Ni vincat peream: fratris enim est similis.

Vesper serenus.

Emeriti aurato Pyroëntis libera fræno
Colla facit Titan, Delia iungit equos.
Sol abiit cœlo, Tartesßia cogitat ardens
Littora, iam medio stridet in Oceano.
Vesper adest, mireq; nitet iam luna bicornis,
Argentum & capiti lilia cana linens.
Hinc tremulo pelagus sub lumine subsilit, & iam
Fastidit lapsos æthra serena dies.

Iamq; Dionæo cœlum pro sydere gaudet:
Auroram noctis verius esse puto.

Ad Clientem.

Pro litis mercede, cliens, vis reddere litem.
Mergere cur me vis, quo duce tuta natas?

De Crœso, quòd suis quenq; contentum esse oporteat.

Vt traiecit Halym, Persasq; inuasit, & audax
Et locuples Crœsus, mox fit ab hoste miser.
Illudens capto Cyrus dat vincula: regnum
Dum cupit alterius, perdidit ille suum.

De Auditoribus Arn. Ferrerij Iurisc. doctiss. moxq; in magno consilio Senatoris.

Vt fruticans arbor varios parit vna nepotes,
Cuius & astra super celsa cacumen adit.
Sic schola Ferrerij legum dedit vna peritos,
Purpureæq; viros sydera vera togæ.
Cauletium, Bagim, tecum, Doniace, Catellum,
Cauagnum: gemmas quis numeret totidem.
His multos audax Academi porticus æquat,
Ferrerium magnus se cupit esse Plato.

Man

Manibus Strozzij, Prioris Capuensis nobiliss.

Hetruscæ gentis nunc luctus, gloria quondam,
Te rapuit, Strozzi strenue, flamma volans.
Hanc, quicunq; cauo mitti monstrauit ab ære,
Hyrcana genitum quis neget esse Tigri?
Fortis ab ignauo dux milite sic perit, & sic
Dux claßis stygia lintre vehendus obis.
Halcyones mœrent oblitæ in littore nidos
Tam citò te Delphin numen abiße dolet.

De duplici morte Eurydices. quòd sæpius peccantibus vix Dij ignoscant.

Læsit Aristæus, miseros dum pertulit ignes,
Formosam Eurydicen, Eurydicesq; virum.
Te, Heroïna, cupit pastor Peneïus, illum
Tu fugis, & celerem te iubet esse pudor.
Cœrula colla tumens pedibus tum restitit hydrus.
Qui tibi, quiq; viro morsq; dolorq; fuit.
Vir si præscisset cantu qui exercita cursu
Flumina sistebat, vix peritura fores.
Tunc sit Aristæus lentus, sit carmine mitis
Sub viridi serpens gramine qui latuit.
Quin te Orco reuocet coniunx Oeagrius Orpheus,
Dulcisona flectens numina nigra Chely.

Præst

Præstituit legem sed parcere nescius hanc Dis,
Ne dimissa Orcum denuò respiceres.
Tænarium repetis, quod respicis immemor antrum:
Fœderis immemorem iura seuera trahunt.
Ira Deûm semel est peccanti lenior: at mox
Qui redit ad facinus, vix redit ad veniam.

De Gruibus, & litera Y.

Strymonias en ordo Grues qui continet, vno
Sub duce Pythagoræ littera sancta volat.

Nil timendum doctis.

Parnassus gemino cœlum mucrone tuetur
Lauriger, & mundo mons situs in medio.
Quàm sit præ reliquis hic editus, explicet æquor,
Obruit vt terras, littore dum caruit.
Inter aquas cœlumq́;, velut mons arbiter, vltra
Exeruit siccum nec sine fronde caput.
Hæc quia ter tribus est sedes lectißima Musis,
Non maris aut cœli quit timuisse minas.

De Luscinia, quæ in Ceraso nidum posuerat.

Exilibus pomis prædulcis & hospite nido,
Est Cerasus multis gratior arboribus.
Nunc Corcyræi sileant pomaria Regis.

Nec

Nec sterilem quisquam nunc cyparisson amet.
Indus amet nigrum solus sibi fuscus hebenum.
Sit Veneri myrtus, quercus amata Ioui.
Aethiopes mollem de syluis pectite lanam:
Erret & in lucis plurima nympha sacris.
Iure loquax Cerasum fructus cõmendat, & vuam
Quilibet hanc malo præferat auriferæ.

B. Vabræo, Baroni.

Perge, rogo, studijs, & quos, Vabræe, parentes
Nobilitate refers, sedulitate refer.
Laudis, opumq; patris sis hæres, candida mater
Te mage lætetur quàm vel Achille Thetis.
Hyberna est ætas homini velocior hora,
Sat tamen aßiduis fit diuturna viris.

Ad Actæonem de Clytia.

Nudam Gargaphiæ vidisti in valle Dianam,
Actæon canibus dilacerate tuis.
Et prætensa alijs metuisti retia ceruis:
Sic tua, sic diuæ, fata, pudorq; ferunt.
Sum magis ipse miser: vitreo tu fonte lauantem
Vidisti niueis æmula membra rosis.
At Clytiam nimio vidi dum fulget amictu,
Dum superat glacie, dumq; colore niues.
Casta neci Diana semel te dedidit, atqui

Vno me decies enecat ista die.

Amici probi atq; improbi discrimen.

Dum serpunt hederæ complexim, sugere vires
Arboris assuerunt, & decor iste nocet:
Verùm vlmos viridi circundat fronde maritas
Pampinus, innocuos fert acinosq́; simul.
Infidus damno sic iugiter instat amicus,
Frugifera oblectat commoditate probus.

Ad Lestriam.

Te volo, te cupio, scis quantum? dicere cogor,
Ver penitus siccum quàm cupit alma Ceres,
Sic rapidis tenuis lætatur solibus amnis.
Sic cancros Serpens diligit octipedes.
Sic oleam quercus, vocalem deniq; nympham
Per iuga Narcissus sic fugitiuus amat.
Candida rumori quis dat tectoria falso?
Non adeo me odi, Lestria, te vt cupiam.

Ad Ciceronem & Sallustium.

Cur Crispum, Cicero? Ciceronem, Crispe, lacessis?
Lusciniæ pariter cur maledicit Olor?
Fundit vterq; fori princeps cum nectare virus:
Vnica nam reges non capit aula duos.

F.De

F. De Guysia Duci ac Principi clariss.

Bellipotens stupuit Mauors, dum strenuus hostes
Ad Metas, Princeps, cominus ense metis.
Belgica & hostili tepuerunt sanguine rura,
Algida quæ facili marmore strinxit hyems.
Elatus ripas fertur spreuisse Mosella,
Gemmifero vt cœpit concolor esse mari.
Si fortuna fidem seruet, virtute nitebit
Inuia flamma dolo, peruia fama polo.

Victoriæ vt cæterarum quoque rerum vicissitudinem esse.

Res hominum fluxæ vario discrimine nutant,
Summißisq; alis qui modo vicit, abit.
Perdomuit Cyrus Crœsum, rursusq; virago
Sanguine, Cyre, tuam sedat in vtre sitim.
Pompeius rediit Pyrenes clade superbus,
Ceßit & huic Xerxi cedere iussus Athos.
Quem tristem risere tamen lætißima Tempe,
Cum se fortunæ credidit atq; fugæ.
An quenquam pudeat vinci, cum fata videmus
Quæ Marius toties consul & exul habet?
Consilio quisquam si rerum temperat æstus,
Fortunæ ille facit regna minora Deæ.

Ad Prætorem desidem.

Cur sudum est? cur non vibrauit Iuppiter vltor

Aethnæo quicquid fabricat igne Cyclops?
An piger est æquè ceu tu, mollißime Prætor,
Gliscere qui vulgo crimina inulta sinis.
Tutior aduena sit Nemees in saltibus errans,
Incola quàm properans serus in vrbe domum.
Prætoris capiti prædonum noxia vergat.
Ni peccare vetat, qui queat, ille iubet.

De Labrace ebrioso.

Clitorijs non est Labrax abstemius vndis,
In Cyathis tanquam toxica vitat aquam.
Non vicina polo tingi tam fluctibus odit
Vrsa minor, Labrax quin mage vitet aquam.
Immergit Lippos oculos mentemq; Lyæo,
Dum pes fit, lingua vera loquente, vagus.
Hic cum thyrsigeri morietur numine Bacchi,
Amphora sit dubites, anne sepultus homo.

De Democrito & Encelado.

Desipit ædificans pulchri laquearia mundi
Insulsus tenui semine Democritus.
Dißipet vt miro conuexum fornice cœlum,
Obsidet euulsis montibus Enceladus.
Peccet vter grauius quisquam deliberet, at quos
Hic temerè impugnat, pernegat ille deos.

M.P. Durbano Maulio Senatori nobilis.

Tam, Durbane, nouem gaudent te iudice Musæ,
Quàm Musis gaudes, docte poëta, nouem.
Ne tu Virgilij versus imitare sonantes,
Inuideat forsan ne tibi Virgilius.
Quid? quod vbiq; forũ decorat tua purpura summũ.
Mirarer, si non Maulius hoc faceret.

De Cupidine & Naïde.

Arcu pugnat Amor. cur sic? in vulnus amantum.
Qua mundum incendat portat & ille facem.
Quòd leuis hic puer est, donatur præpete penna.
Dic cur non habeat lumina? Naïs habet.

De ampli ac probi hominis obitu.

Ni tigna atq; trabes Atlas sibi cõparat, actum est.
Ni cœlum reficit, protinus astra ruent.
Interijt magni vir nominis inter obesos,
Et qui virtutum mille talenta gerit.
An non audit Atlas stridentem funditus axem?
Machina sub tanto pondere fessa labat.
Scinditur hinc cœlum, qua lactea nocte patebat
Semita, ni pransus, non feret iste gigas.

De Fallisco.

Prædia Fallisci centum finduntur aratris,

Præ quo vel Crœsus Lydius esset inops.
Claudit Erythreæ quicquid legit accola ripæ,
Quod fodit aurifero pallidus Astur agro.
Cum bellè valeat sublimis honoribus, huius
Nil deest fortunæ: mentior, imò modus.

De Achille, Homero, & Alexandro Magno,

Pelidæ inuicti Sigæo in littore bustum
Rex Macedûm haud siccis fertur adisse genis.
Ilicò suspiciens complosis æthera palmis,
Iusta velut faceret manibus, hæc loquitur:
O te felicem, Troûm expugnator Achille,
Mœonius cecinit quòd tua bella deus.
Pelias hectoreum frustra latus hasta petisset:
Et frustra Auroræ filius ense cadat.
Ni canat hæc vates, qui tantum prorsus Achillem,
Ingenio quantum præstitit ipse, facit.

Ad Guerin. Alzonem Senat. & Equitem auratum.

Alzo, Senator, Eques, sis gemmeus, aureus idem.
Quòd bello Gallos iuueris, atq; domi.
Mente, armisq; simul præstans Tritonia fertur,
De maribus nemo præstitit ante, deis.

Persid

Perfidiam antiquorum nocere huius ætatis amantibus.

Perfide cur linquis desertam Colchida, Iason,
Auro & laude nitens qua duce vellus habes?
Aëra cur implet planctu Minoïs, & audes
Edomiti, Theseu, non meminiße bouis?
Hinc simul ac Clytiam cupio exorare, repellor:
Ob scelus illa tuum territa, velle negat.
Aura fidem nauemq; tuam nequißima traxit.
Fertq; metum Clytiæ, plurima damna mihi.

Ad Lacerum.

Te rogo, tam crebrò ne prisca silentia laudes,
Cum superes Prognen, tinnula dum flet Ityn.
Sic arguta silet sub messe cicada, Lacer, sic
Diuitis ob funus cymbala sacra tacent.
Sic Curetum aliquis Cybeleïa percutit æra
Pro Ioue, vel læsæ cum reuocantur apes.
Hoc age, ne tacitæ toties laudentur Amyclæ.
Vel semel, hoc benè sit, desine, quæso, loqui.

Ad Russellum Iurisc.

Defunctum, Rußelle, doles, quererisq; sodalem,
Fluxerat Arpinus cuius ab ore nitor.
Es pius, vt doctus. sed quid? nec Tullius illas
Tres exorauit, quæ nocuere, Deas.

Alius peccat, alius plectitur.

Argolicas fregere Capharea ſaxa triremes,
Queis triſtem oſtendit Nauplius ante facem.
Sic falſò reducem pellexit lumine claſſem,
Naufragium magnis maius vt eſſet aquis.
Obrutus eſt Aiax alter, non dirus Vlyßes:
Hic iram meruit numinis, ille tulit.

Ad Ianum.

Terga vides pectusq́; tuum, cautißime diuûm,
Principiumq́; anni, Iane biformis, habes.
Anceps iſta deo facies, vt mira, probetur,
Vt ſic quæ fuerint, quæq́; futura ſciat.
Mortales ventura latent ſecurius ægros:
Nam dolor hos multus, gaudia rara manent.
Obfuit Acriſio non natum odiſſe nepotem.
Omnia qui videat, quàm nimis ille videt.

Ad Venerem.

O pereat ſpeculum, ne cum ſit conſcia formæ
Galla ſuæ, faſtu me iugulet nimio.
Saxificam crebrò vellem ſpectare Meduſam,
Non hanc, Ledæus qua minus albet olor.
Quæ mera blandiloquis triuit corallia labris,
Purpureas video cuius in ore niues.
Me voluit quondam, ſi nunc non pœnitet illam,

Da,

Da, Venus, hoc vni quod cupiere duo.

Ad Telmam medicum doctiſs.

Decreuit naulum iampridem, Telma, Charonti:
Vix triduo manes traÿcit ille duos.
Te medio raros auidus lucrabitur Orcus.
Dic Caſiam & Folium nūc vbi vēdat Arabs?
Letiferi fugiunt morbi: quid multa? latet Mors,
Cum dubitet Telmas ſis'ne vel Hippocrates.
Obiurgat famulas, tibi nent quòd ſtamina, Parcas.
Viribus illa tuis, Telma, perire timet.

Hippolyto Eſtenſi, Ferrariæ Cardinali nobiliſs.

Vel celerem Solem, exiguum vel dicere mundum
Conuenit, hunc vno permeat ille die.
Sed mundum ingentem, præſul, tua fama fatetur,
Quem totum velox vix peragrauit heri.
Traiecit longè Tanaïm Ferraria flumen,
Finibus Europæ laus nequit iſta capi.

Ad Haluentem.

Titanum te nemo fuit procerior Haluens,
Pygmæo ſimilem tu facis eſſe Gygen.
Te Tytion digitis excellit penè duobus:
Certè iſtic bonitas quod ſpatietur habet.

Ad Alautum.

Suppeditet diuina tibi cum virgula quiduis,
Doctrinam & mores præter, Alaute, probos,
Cur Clytiæ captas hymenæos diuite censu,
Tamq; procax vrges quàm sine mente procus:
Sacratas Musis violabis, peßime, tædas.
Te malè auara parens, nos bene iunget amor.
Sunt hæc iræ elementa meæ, nam perditus aprum
Immitti in liquidum lugeo fonticulum.

Ad Lusciniam.

Luscinia, elinguem fingunt te, blandula, vates,
At tua nec verna cantio nocte silet.
Humanas imitans voces, pictusq; Smaragdo.
Vix conferre suas Psittacus audet opes.
Corue salutator, sed Phœbo perfide, quid non
Huic dabis, vt Maij det tibi delicias.
Ergo illi Tereus vellat me iudice linguam,
Elinguem si quis te, Philomela, facit.

Ad amicum.

Ingentem Iliacis equus ingens perdidit vrbem:
Qui patriam vobis perdat, asellus erit.

M. Hospitali Libellorum Reg. magistro doctiss.

Publica doctrinas calles & iura politas:

Mirum

Mirum, quòd, tanquam singula, plura scias.
Aurea Mæonidis te demisisse catena
Fulgenti è superûm creditur hospitio.
Hospita lis claras etiamnum detinet artes,
Quam facias pluris, quæ mage te decoret.
Quin dum te aspicio, videor mihi protinus alter
Pentheus, & Soles credo videre duos.

De obitu P. Genelli Astrologi.

Astrologus fatis cessit, qui lumina viuus
Addiderat stellis, scribere dum licuit.
Sydera quæ fuerunt stadijs distantia miris,
Vicina humanis reddidit idem oculis.
Hunc meritò cœlum repetit: quæ lucida præsens
Aspicit, hæc animo viderat astra prius.

Ad Hercum improbum.

Peruigilem Maiæ iugulet ne filius Argum,
Nil opus est cultro cæcus vt esse velit.
Centum oculos vltrò totidemq; effoderit Argus,
Et faciet quiduis, te modò ne videat.
Eccur est Catilina nocens, si diceris insons?
Absoluent Syllam vel tua facta trucem.
Filaq; desineret tua iam deducere Clotho,
Sed metuit si te viderit, Herce, mori.

Transformatio Aſtyanactis,qui fuit Hectoris filius,in lilium.

Immeritum fruſtra Aſtianacta necaſtis,Achiui,
Hectoreum nolunt fata deeſſe genus.
Deijcitis ſumma puerum crudeliter arce,
Tam dirum haud vidit Caſpia terra nefas.
Dij melius,qui eliſa vident vbi cælitus ora,
Aureolam ſpargi perdoluere comam.
Iuſſa repente volat pictis Thaumantias alis,
Quæ puerum ſacra proluit ambroſia.
Flos inde enituit faciei argenteus albæ
Concolor,& capitis pondere colla premens.
Cæſaries medio flaueſcit lutea flore:
Iliades luctum iam poſuere nurus,
Purpureo vt gigni de ſanguine candida cernunt
Lilia,Francorum nobilitanda domo.

Ad Vulcanum.

An,Vulcane,tibi nunc eſt venatio cordi?
Aurea dic tandem retia cur fabricas?
Amplexum vt Veneris dulcẽ cũ Marte prehendas.
Quis pudor? i vecors vt pede, mente breuis.
Fabula fis ſuperis:prudens in pectore celat
Quæ ſtulti in media cornua fronte patent.

Enſis

Ensis Aiacis.

Se phrygio excandens Aiax hoc pertudit ense.
Sæpe hostis maduit sanguine, nunc domini.

Ad Alertem.

Vis imitator, Alers, vulgo Ciceronis haberi,
Tunc Ciceronis, Alers, cum mera verba refers.
Dic, ego si Venerem Cous quam pinxit Apelles
Ostentem, celebris num tibi pictor ero?

Francisco Bertrando præsidi Tolos. doctiss.

Sacrarum custos, præses dignissime, legum,
Reddis Olorinos mente manuq; modos.
Sic quibus à Phœbo digitis intenditur arcus,
His loquitur suaui carmina docta chely.
Nam melos argutum præstas testudine, mox tu
Dum das iura viris, dulcius his resonas.
Ionium, præses, si quando iuuiseris æquor,
Sirenas coges, quò libet ire, sequi.

Ad aues, de lini semine.

Parua cohors volucrum, nubiq; simillima magnæ,
Cur adeo lini est inuidiosa seges?
An quòd agros satio hæc pingues impensius vrit?
An pedicis quod vos intricat & laqueis?
Captatis varia fœcundam morte sementem,
Quam reperit campis Eumenis in stygijs.

Nauit

Nauita velifero dum tendit carbaſa malo,
Inſidias auibus non ſtruit, imò viris.

De fonte puriſſimo.

Fons eſt ſyluigeri vitreus ſub vertice montis,
Hinc properans tenui murmure prata lauat.
Non perit hac, dum ſe Narciſſus deperit, vnda:
Hinc ſalientis aquæ captus amore perit.
Nudantur Charites iſta comiteſq́; Dianæ,
Erigones æſtas cum tepet igne Canis.
Emerſiſſe Venus decies hinc aurea mallet,
Nuda cytheriaco nata puella mari.

Nicolai Herberia ſcriptoris Galli pernobilis, Epitaphium.

Vt ſemel Elyſias feſtina morte petiuit
Herberaus, Francûm deliciæ atq; dolor,
Incipiunt Vmbræ Gallum ſeruare nitorem.
Vel Getici manes gallica verba ſonant.
Calliope luget, pectuſq́; in funere plangit:
Orpheos vt nati fleuerat ad tumulum.

Ad Elermum Sophiſtam.

Deeſſe ſupercilio contendis inania magno,
Et ſolidum nuſquam corpus, Elerme, dari.
Argutiiſq́; furens Chyſippi themata mugis,
Torua corymbifero Mænas vt acta deo.

Iſtud

Istud omitte sophos, ne posthac desit inane,
Quod tu nequicquam quæris, inane puta.

Nihil occultum, quod non reueletur.

Nec celare potest quisquam, nec fallere diuos,
Furtiuumq́; scelus prodere fata solent.
Auriculas Phrygij Regis cantauit arundo.
Astra Prometheo sunt patefacta dolo.
Fama hæc per tenues explorat conscia rimas.
Occultum quiduis postera lux retegit.

Læsus ab Amore.

Cor mihi punxit Amor, sed punxit præpete telo:
Figitur hoc tum plus, cùm magis excutio.
Lethiferis Arabum non illita tela venenis
Plus noceant, medices ars petit artis opem,
Carpere dictamum cretæa nil iuuet Ida,
Quo vellunt cerui spicula fixa leues.
Telephus hæc eadem fatalia vulnera sensit,
Sanare vt tantùm qui facit illa, queat.

Quòd dum rumor esset Laurẽtium Strozzium Episcopum, Bliteram aduentare, vrbis mœnia mense Februario sponte corruerint.

Strozzius Hetruscis aduentat præsul ab oris,
Fama sequax veri si modo vera refert.

Lætit

Lætitiæ indulgent Galli, quos abluit amnis
Obris, & electro purior arua secat.
Dißimulant hyemẽ iam lassam & gaudia soluũt,
Pallida cum gelido vernat oliua iugo.
Mœnia sed dubium portendunt ciuibus omen,
Quòd paßim aßiduis imbribus acta cadunt.
Non tamen est lapsis cœlestum mœnibus ira,
Porta sed hoc tantum non capit vna decus.

Ad Policertum statuarium.

Fertur Deucalion solus dum præfuit orbi,
Quot reperit lapides, tot peperisse mares.
Tu facis id viuo poliens è marmore vultus,
Ductilibus saxis das, Policerte, animam.
Naturæ atq; artis quàm maxima rixa timetur,
Hæc facit, illa suum credula iurat opus.

De tribus fratribus cognomento Fabris doctiss. Ad Hospitem.

Sic structam perstare, scio, miraberis vrbem,
Nil mirũ, hospes, habet tres simul vna Fabros.
Quòd si trita senis luxentur mœnia mundi,
A tribus hæc refici posse putato fabris.

Ad Carpalum militem ignauum.

Audacem promptumq; manu te, Carpale, iactas

In

In bello, at longe promptior es pedibus.
Nam superas cursu Pardum celeremq; puellam,
Quæ tandem est pomis reddita lenta tribus.
Quis, rogo, descripsit mucrone metumq; fugamq;?
Legi vtrunq; tuo nuper in occipite.
Turpe doces paucos peditum per bella maniplos,
Non seruare ensem, sed violare fidem.
Te natum vix esse sciunt hostilia castra,
Hostes nanq; nihil quàm tua terga vident.

Duellum Paridis & Philoctetæ.

Confixit Pariden heros Pœantius arcu,
Dum fugit alterna missà sagitta vice.
Inuictus fuerat iaculis, nulliq; secundus,
Iura tamen fati cedere dura iubent.
Lernæo facies tumuit fœdata veneno:
Pulchrior ante fuit sed nec Apollo Pari.
Pallentes aucturus erat mœstißimus vmbras,
Dum toto incumbens vulnere tela premit.

Delusus spe queritur.

Iam queror, vt fallor, iam spem mihi cerno caducã.
Mitto ador in sulcos, nil meto quàm lolium.
Depereunt studijs taciti velociter anni,
Argentumq; meram vertitur in scoriam.
Vos animi tormenta procul discedite libri,

Nam torpere libet, ſi mihi cura nocet.

De Lepti.

Si quos Leptis amet (nec amat, ſed fallit) ab illis
Eximia vt merces annulus exigitur.
Poſt Veneris ſua furta nihil plus quærit auaræ,
Præſertim ſi aurum diuidat arte lapis.
Iam caret Aſſyrius gemmis, obnoxia prædæ
Decoquit auriferi lucida ripa Tagi.
Vt ſtragem latÿ Carthagine ſupputat hoſtis
Annulus, hæc victos ſupputat inde viros.

Ad Faunum.

Faune, rogo, pietas ſi ruſtica numina tangit,
Da meus vt culta meſſe redundet ager.
Sic te non fugiant ſyluarnm gaudia Nymphæ,
Sic penetret Lyncas iuſſa ſagitta leues.
En, bis vernat ager, ſi ſit clementior annus.
Bis parêre auido non negat agricolæ.
Ambit amator eum procliui tramite riuus:
Quem velit & raſtro pectore ſancta Pales.
Quàm meruit niueam qui nil niſi gignat Orizam:
Dignus & Europæ quem niſi raptor amet.

De Antonio Borbonio Duce Vandomenſi Principe clariſs.

Ad Lectorem.

An nosti hunc, lector, quo rerum nuncia fama
Maiorem frustrà quærit in orbe ducem?
Regius huic sanguis, cui seruiet ora frementem
Hesperio quæ audit Solis in amne rotam.
Cor timidis bello, laudem pugnacibus affert,
Omnibus exemplum, nec nisi Marte ferox.
Plus tibi nil referam, manibus ne cætera centum
Posse Gygen credas scribere vel gerere.

Tutum esse varios mores imitari.

Hos illosq; capit nequam fingitq; colores
Polypus, in saxis saxa marina refert.
Cumq; hominum pelago similis sit vita furenti,
Sint scopuli, si quos vasta Charybdis habet,
Ipse hominum varios imitor pro tempore mores:
Seruio sæpe loco, nec probo quæ patior.

Ad Arnum maledicum.

Pax cum letiferis Psyllis est certa venenis:
Huic genti innocuum Vipera virus alit.
Explorant Libyco natos serpente tenellos:
Legitimus gelido lusitat angue puer.
His sentire tuæ si feceris Aspida linguæ,
Psyllorum intereat protinus, Arne, genus.

Homero deberi cladem & famam Traianorum.

Non Troiæ Neptunus erit, non Dardanus autor,
Iudice me, autorem quæris? Homerus erit.
Cur ita? descripsit quòd stantia Pergama, cogat
Aspicere vt Priami regna beata senis.
Ilion an sciret quisquam cecidisse superbum,
Ni legat instructos Palladis arte dolos.
Si Nero flagrantem cupiat spectare ruinam,
Quid furit? incestis obijcit hic oculis.
Nec Thelamone satus Troiā Pyrrhus've cremauit.
Huic scribens potius subdis, Homere, facem.

P.Godofredo Iurisc.& amorum scriptori doct.

Perlege pauca tui, qui nosti multa, sodalis.
Multa lepos mirus, iusq; Venusq; decent.
Non, Godofrede, æquas reseras sine numine leges.
Et scis tela die quot iaculetur Amor.
Exerces patrium facunda voce tribunal,
Dulichij referens ora diserta ducis.
Hoc poteris dono Musam lenire forensem.
Sed non est donum, verius est pretium.

De Tiresia,& se ipso.

Pallada Tiresias doluit vidisse lauantem,

Nam

Nam quibus hanc oculis viderat, his caruit.
Supplicij nouitas potuit terrere: ſed audax
Cœleſtem aſpexi, quis neget hoc? Clytiam.
O ſuauem nimium dulci pro crimine pœnam.
Cæculus & longè doctior hinc redeo.

De diis antiquis.

E dijs Neptunus, Dis, Mars & Iuppiter, hi ſunt,
Queis parent pelagus, tartara, bella, polus.

De Menſe Martio, quo natus eſt.

Dum cano io pæan, nymphæ, vos plaudite menſi,
Quo mihi natalem fata dedere diem.
Aequoris & rubri niuea mihi pingite bacca,
Hunc hilares menſem, dum cano rurſus io.
Nam chaos hoc peperit tenerum diuinitus orbem:
Hoc varijs gemmans floribus herba viret.
Pigra recedit hyems, Zephyris ſpirantibus Auſter
Subticet, & guttur ſtridula ſoluit auis.
Hunc quoq; martigenæ, ſed non ſine numine, fratres
Anno ſacrarunt incipiente patri.
Fulua pecus Phryxi Solis bis fulget in auro,
Claraq́; lanigero pro grege ſigna regit.
Si queat Aſſyrius Phœnix hoc menſe renaſci,
Crebrius incendet ture calente rogum.
Non mutem pylio triplicem cum rege ſenectam:

Vernus enim pluris Martius vnus erit.

Ad Henricum Regem Gall.

Pontificem amiſſa mœſtum, Rex maxime, Parma
Ne mirêre, Aiax interit ob clypeum.

De Aelio Sappo cauſidico.

Cauſas Sappus agit Graccho felicius ipſo,
Iamq́; illum bellè præda forenſis alit.
Declamat paſſus bis mille, aut circiter, hora:
Mobilior verno paſſere ſemper agens.
Clamitat, hinc vulgo facundus dicitur, at non
Mercurij eloquium ſic habet, imò manum.

F. Turnonio Cardinali nobiliſs. & doctiſs.

Aduena dum Rhodanus Turnonum prædia lambit
Ocyor it, lentum fert licet ille Ararim.
Nam properat ponto, cuius procul effugat vndas,
Dicere quàm Galli ſis ſacer orbis honos:
Conſilio at quantum Regem, Romamq́; tueris,
Eoi, Antiſtes, heſperijq́; ſciunt.
Ni ceſſet Rhodanus replere hac æquora fama,
Deficient auctum littora priſca fretum.

De Polla, quæ ſuſpendio ſponte periit.

Non vt amans viridi Phyllis de fronde pependit,

Sic tepidàm fregit nunc ſibi Polla gulam.
Sed perijt proprijs indignans faucibus,in quas
Abſumpſit dotem luxurioſa ſuam.
Callida vel gelidæ laqueum formidine mortis
Nectit collo,animam dum timet ire foras.

De M. Tullii Ciceronis morte.

Sæuiit infeſtis cum primùm Antonius armis,
Docte tuum Cicero,ceditur enſe caput.
Dulcia te audierat vibrantem fulmina lingua
Turba frequens,truncum cernere geſtit humi.
Roſtra tuo infelix ſaturaſti ſanguine,ſic quo
Fonte cruor fluxit,fluxerat eloquium.

Amantis incertus ſtatus.

Nec Iunonis auis,nec cæli pingitur arcus
Tam varijs quàm nunc pingor amore modis.
Non freta.non ſyrtes æquant me fluctibus Afræ,
Cum rota me verſat,qua malè diſcrucior.
Orta nec eſt alio tempeſtas ſydere,quàm quòd
Allicit,& mox me ſæua puella fugat.
Hinc tingor violis,hyacinthinus,aureus,albens,
Vt faciem pingat,nunc Agathyrſus amet.

Ad Artacem.

Carmina ſunt, vt ais,noſtris mage terſa Catulli.

Laurea præ nobis serta Marotus habet.
Esto, tamen palmam nollem te iudice fingi,
Qui nostrum alterius carmen honore premis.
An cecinit syluas nemo vel bella peritus,
Ascræum præter Mæoniumq; senes?
Caucasiam non hæc superet patientia cautem,
Tu mea si stertens otia comminuas?
Pernicem in stadio cursorem negligis, Artax,
Antiquum vt Ladam claudus ad astra feras.

A voluptate abstinendum.

Dulciter occidit morsu quos attigit Aspis.
Morte etiam dulci Pontica mella necant.
Dulcia propinat dum Circe pocula, cogit
Ex homine immundam protinus esse feram.
Esca mali sic spurca nocet, perimitq; voluptas,
Sacchare quæ nimiam condit amaritiem.

Ant, à Paulo doctiss. præsidi.

Cùm soleas legum fasces summittere Musis,
Hæc, qua fronte legis publica iura, lege.
Quàm comis videare, docet vel mane clientum
Quæ comes à doctis ædibus vnda fluit.
Lægifer hæredem Paulus te scripsit in assem:
Dodrantem Clio sed moritura dedit.
A Paulo tetricas retines cum nomine leges.

Par

Par poteras dici, ni fores & potior.

Ad Lausum.

Sis velut ex auro, diuos & sacra laceßis:
Obryzus fieri forsan in igne cupis.

Mortem non esse timendam, ad Alconem.

Post homines natos nemo est te stultior, Alcon,
Qui mortem nigra plus quoq; morte times.
Hippolytus Nestorq; necem subiere, sed illi
Vita fuit duplex: huicq; senecta triplex.
Et Iouis ostentat cineres Minoïa Creta,
Mortalem nequam perdidit vrna vetus.
I, metuas, quod nec vitarunt numina, fatum.
Qui metuit mortem, sæpius is moritur.

Ad Cupidinem.

Me Clytia absentem reuocat, pellitq; sequentem,
Huc illuc sic nos, parue Cupido, trahis.
Tantalus in medio sitiens eluditur vnda,
Me sitis in medio Nectare iugis habet.

Francisco Valesio Henrici II Regis filio, Galliarum Delphino.

Humida Nereïdes cursim palatia linquunt,

Pacatiq; petunt littora læta maris.
Iam Triton rauca ter concutit æquora concha:
Franciscus, Delphin Francicus, inquit, adest.
Quem felix eademq; dies ridentibus astris
Et Sole & solio fecit in orbe frui.
Impedias roseo curuum delphina capistro,
Neptune, & bipedes huc properetis equi.
Exi Cynothoë, tu lilia necte Palæmon,
Num perplexa tuos detinet alga pedes?
Henrici aduentat proles pulcherrima, magni
Fama patris cœlum pulsat, & arma salum.
Tam regis structa latuit sub classe profundum,
Imperio tellus quàm procul aucta patet.
Te pater Oceanus, Delphin, Tethisq; salutant.
Quin æquè es charus ponto vbi gemmæ habitãt.
Candida vela Notus seruet tibi, seruet Iapyx,
Depositum reddat fida carina sacrum.
Ne'ue tuam fallant, quæ scandes, sydera puppim.
Sidoniam fallat ni breuis vrsa ratem.
Nec mage quàm cygnus rapidis mergaris in vndis.
Quàm tua qui velox nomina piscis habet.

Fortunæ resistendum.
Ad amicum.

Perpetuo variæ vultu te ostendito sorti,
Nimirum est prudens is, malè qui bene fert.

In

In And. Alciati Iureconſ. ſepulcrum.

Alciati illuſtrant Inſubres lumina Gallos,
Qui princeps iuri reddidit eloquium.
Flebilis amiſſum Ticini gens Itala luget,
Credatur tumulo natus vt eſſe dolor.
Vt lacrymas ſiſtat, ſuperi iuſſere, nec eſt fas
Addictum vt cœlo numen, in orbe petat.

Vis auri in bello plurimum poteſt.

Getulum fama eſt ſcitè dixiſſe Iugurtham,
Abſtulit vt fratri ſceptra, tulitq; necem,
Expoſitam cautis Tarpeiam emptoribus arcem,
Euaſit Senones hæc licet enſe bonos.
Quiduis nanq; fuit venale Quiritibus auro.
Aurea tam pectus, quàm ferit haſta latus.
Hæc Scyllam Niſi, murosq; expugnat, & ingens
Vis auri ferrum numine ſuppeditat.

Matth. Chauuetto Senatori.

Eſt oris formæq; viris ſat digna venuſtas,
Theca ſimul pulchri ſi tamen eſt animi.
Nirea quis meminit? ſtat Lariſſæus Achilles,
Prædaq; Nympharum penè tacetur Hilas.
Cultæ mentis honos ornat te, Delphica nemo
Scit iuga te melius, Mænalium've nemus.

Hæc

Hæc tibi me ratio, cæco ceu fœdere iunxit:
Qui creuit studijs, vix minuetur amor.

Ad Gaurum.

Munera mitto tibi, letæo hæc gurgite mergis,
Nostra à te mallem munera, Gaure, rapi.
Fœnero non equidem quæ do, quis perdere poßit?
Nequior ingrato est immemor officij.

Nobilitatem parentum virtute ali, vitiis interire.

Maiorum est aliquid censeri laudibus, hoc si
Non vitio claros dedecoremus auos.
Sed Thetidis natos potius sectemur, honesta
Qui vicêre suum nobilitate patrem.
Degener Augustum fœdauit Iulia diuum:
Patritiam obscuras, torue Cethege, domum.
Claruit at Marius plebis fæx, maximus armis:
Præluxit proauis docta Sibylla suis.
Res gestæ & virtus adsint modò, quisq; repente
Incipiet terræ filius, esse Iouis.

Clariss. principib. Borbonio & Vandomensi Cardinalib. S.

Prospera nere velim vobis tot secula Parcam,
Pontifices, Phœnix quot rediuiuus habet.

In pon

In pontum gelidas Ister quot voluit arenas,
Flaua quot Alcinoi poma ferebat ager.
Oceanusq; pater Nymphas quot gignit, & idem
Astra quot extinguit, cùm redit alba dies.
Quotq; niues, niueasq; facit Cynosura pruinas:
Verlætum quot aues parturit, atq; rosas.
Melligerasq; thymo quot pauerit Hybla cohortes:
Quot radios Titan, vestraq; fama facit.

Ad Eurum Ventum.

Cur Clytiæ inuoluis? cur? dic, ô Eure capillos?
Falleris, vt minimum duxeris esse scelus.
Aemulus his sexta sol splendidus inuidet hora.
His mihi cor nodis nectit amica tribus.
Orithyia comam talem formosa tulisset,
A gelidi flammis tuta foret Boreæ.
Detonsum ob Nisi crinem qui claruit Ostro,
Fit volucris fugiens territa Scylla patrem:
Plus pecces, Clytiæ crines si fregeris, amens,
Aurea te totidem frangere fila putes.

Imperandum cupiditatibus.

Dux quanuis famulo victor dominetur Hydaspe,
Si veneri aut iræ dat loca, seruit iners.

De Martio Narbone.

Narboni quintus cum nomine Martius omen

Indid

Indidit, Aeneadum consul in vrbe vigil.
Auspice quo fuit hæc deducta colonia, felix
Nauigerum si quis flumen, agrumq́; videt.
Vrbs eadem est Galli pignus tutelaq́; regni,
Firma quidem, si non cælitus hostis adest.
Contado atq; aliȷs Phœbi quia gaudet alumnis,
Martius est Narbo, Palladiusq́; simul.

Aimaro Ranconeto Senatus Parisi. Præsidi.

Deleuit claros inopina clade Morinos
Hostis, non bello sed mage pace ferox:
Diruta non dubito, præses, quin mœnia poßis
Reddere, sermonis numine melliflui.
Amphion potuit latas si condere Thebas,
Demulcens blandis saxa polita modis.
Cum melos ipse queas antiquum vincere, sacris
Legibus & graio saxa lepôre trahes.

Legibus potentiores non ligari.

Et ferro & dura nectuntur compede fures,
Exiguo quibus est friuola præda lucro.
At qui compilant æraria publica, fuluo
Hinc onerant auro, pectora, colla, manus.
Reticulum leges referunt quod texit Arachne.
Impediunt tenues, expediuntq́; graues.

Ad Marſum.

In plebem ſæuis, blandiris, Marſe, potenti
Patritio: mirè ſic tibi, ſtulte, places.
Formicæ ingentem farris populantur aceruum:
Sæpe puſilla nigrum gens Elephanta capit.
Plebs abiecta licet te non vt fulminis ictu
Obruat: at, tanquam grandine, multa nocet.

Ad Neptunum.

Inſanis, Neptune, puto, ſæuisq; tridente.
Lucida num extingui fluctibus aſtra cupis?
An nauem cœlo vis addere? ſufficit Argo
Si prædæ ſtudeas, hæc pretioſa nec eſt.
Iamq; nouo pelagi terrentur pondere manes,
Hoc agis vt cœlo ſit ſita meta ſali.
Dic Glauco & nymphis, peream ſi forte, marinis,
Pimplæi comes eſt naufragus iſte chori.
Heu decimo rapior fluctu, victricibus vndis
Cedo, & quot fluctus tot quoq; cerno neces.
Barbara triſte mihi præſtabunt æquora buſtum.
Nil moror, vt ſaltem ſydera lotus eam.

De Cardinali à Monte mox Iulio III pontifice Rom.

Octauum Romæ circundant mœnia montem:
Claudere tam cœlum quàm referare poteſt.

Hic

Hic humiles toto reddit ſibi vertice nubes,
Supra Athon excellens Inarimenq́; ſimul.
Nunc caueant ſuperi, Typhon ne forte reſurgat,
Dum tantum Monti iuris habere licet.

Ad Didonem.

Dic Cytherea nurus, cur ferrum ſumis, Eliſa,
Dum tuus Aeneas Punica regna fugit?
Nam profugus cum te reginam luſerit hoſpes,
Suffeciſſe neci debuit iſte dolor.

Paulo Fuxio Caramanio, pernobili.

Vt pretioſa rubri quærens conchylia ponti
E' varijs dubitat quæ potiora legat,
Sic gentis mentisq́; tuæ dum inſignia conor
Promere, multa mihi copia, Paule, nocet,
Heroa tibi gens ſplendeſcit Fuxia luce,
Expolit & nitidus iura ſeuera lepos.
Sed quia nec virtus ſola eſt hæc, imminet ingens
Vt tibi, Paule, decus, ſic recitantis onus.

Homo homini Deus, ac lupus. ad Aulum.

Eſt homo cùm prodeſt homini Deus, eſt lupus idem.
Cùm nocet: id, verbum continet, Aule vetus.
Fidere perpaucis igitur mortalibus æquum eſt,

Et plures fuerit non metuisse pudor.
Vnicus ætherea Deus est regnator in aula:
At grex syluicolis mille fit esca lupis.

Academiæ Valentiæ Allobrogum præfectis.

Vtcunq; herculeos legum dissoluere nodos
Alitis interpres dat mihi virga Dei.
Vestra mihi tribuit plus nuper epistola: sed nil,
Vt puto doctrinæ quàm mediocre habeo.
Ardua visa viris res est succedere doctis,
Propter quos Rhodani rauca fluenta gemunt.
Oenotrium Gallus Decium Corasius auxit.
Nunc decet ille polum, nunc decet iste forum.
Quis regat à Tiphy cumulatam heroibus Argon?
Munia quis functo quærat Atride ducis?
Vt versu Delos, sic iure Valentia floret:
Sunt vbi nunc Deli qui quoq; numen habent.
Et me, ne inficier, ius amplexatur alumnum,
Cui iubeo dulcem nubere Calliopen.
Digna academiæ munuscula reddere tantæ
Non vacat, aut, nec si nunc vacet, ipse queam.

Saturno seu Tempori.

Hoc ne parum fuerat proprios tibi mandere natos,
Quos Cybele tremulos angitur vsq; rapi?

Cur, Saturne, meos etiam, mea pignora, libros
(Non impune tamen) perdere dente cupis?
Adueniet summa qui te de sede repellat:
Parturit, ecce, nouum nostra Thalia Iouem.

De Baccho.

Cum semel atq; iterum genitus sit Bacchus, opinor
Hunc pueri vultus semper habere nouos.

Ad Clytiam.

Fasciculum egregio mittis pro munere florum,
Nexa est alternis lutea caltha rosis.
Ni citò marcescant, satiant hæc tempore, quidnam
Te, Clytia obsecrem, dixero, vis ne? libet.
Arboris vt citriæ flores imiteris, & vnà
Mutua des fructus gaudia. cur renuis?

Io. Tornoëro Archidiacono & Senatori Tolos.

Non mihi laurigero dictatur Apolline carmen,
Nec mens Castalijs ebria feruet aquis.
Mitto tamen versus, versus ne sperne, Senator,
Leniat vt noster tetrica iura iocus.
Iura palatino tractas qui sæpe recessu,
Forsitan & Maio carmina mense leges.
Hæc nos in tenero propensi mittimus anno:

Ver

Ver tibi dat nugas, seria mittet hyems.

Ad Leuinum.

Ad Pharium longa maturas naue Canopum,
Assyriumq; vadum multa vbi gemma latet.
Imbrifer at metuis ne te deturbet Orion,
Fœnore corrosas né ve flagellet opes.
Aedilis metuas Aquilo ne munere fungens,
Te, mala cum sis merx, in mare proijciat.

Ad Almum exultantem à patria.

Improbus, Alme, domi, nauas virtutibus exul,
Exulat omne tuo iam scelus exilio.
Persica, sic aiunt, natiuum oblita venenum
Poma, nouo succum nobilitasse solo.
Obscuri patrijs quidam pelluntur ab oris,
Externa clari qui regione nitent.

Ad Vulpeniam.

Vox, color, atq; ætas tibi sunt, Vulpenia, Corui:
Nubere vis Lopso, nube, cadauer habes.

Ad Theophrastum.

Naturam temere incusas, Theophraste, parentem,
Quòd te tam fragili conditione tulit.

Inuida Clotho hominum paucos vix torserit annos,
Plurima dum sitiens secula coruus agit:
Cornua mutantur volucri viuacia ceruo.
Sed vixisse diu nil vtriusq; refert.
Sic ais.an nescis quàm sit longæua virensq́;
Mẽs hominum,quam mors in loca amœna vehit?
Da Coruo Ceruoq́;frui cœlestibus, & mox
Cornua cum pennis tu diuturna cape.

Illustriss. Alteclerae libellorum in Regia magistro.

Humanum ætherio deductum semine fertur
Esse genus, quod quis si neget,ipse probas:
Nam tu nil aliud picti quàm sydera mundi
Alta & clara sapis,nomine, voce, animo.

Ad Homentem.

Diues in obryzo fugientia porrigis auro
Vina,sed in gemma vappa superbit,Homens.
Condit Aminæum Maio tua cella falernum,
Nectare tros diuis quo puer imposuit.
Assas in citrea picas tibi ponito mensa.
Conuiuæ in querna da Palamedis auem.
Quid mihi cum pretio lapidis fastu've metalli?
Quis melius vitro gemmea vina bibat.

Radix virtutis amara, fructus dulcis.

Non semel ex saxis Cristallo purior exit
Fonticulus curuæ vallis amœna fouens.
Torta dat & folijs gratas & frondibus vmbras
Radix, & fructu, se numerosa premit.
Sic austera nimis doctrinæ fertur origo:
Nectare sed succus gratior inde fluit.

Ad Salaconem.

Quid rides Salacon aliorum dicta supinus,
Abdera genitus sis quasi Democritus?
Multiplici num tu vecors è splene laboras?
In medio rides funere facta hominum:
Sardoïs caueas tanquam sis ebrius herbis,
Gaudia ne letum triste superba ferant.

Rectè facta semper opportuna esse. ad Candidum.

Grandæuus ciuile cupis ius discere, quid ni?
Hoc probo, si iuris nauiter ima petas.
Pleraq; pulchra tamen, serò confecta leguntur.
Non opifex ideo proditur esse piger.
Vix sator æternus diduxit semina nuper,
Claraq; in obscuro lumina mersa Chao.

Arcadas audisti luna vixisse priores.
Nil serum est vnquam, Candide, quod benè fit.

Ad Melinum Sangelasium Musas laudantem.

Ne laudes dominas Aganippes, quæso, puellas;
Ipse cothurnati syrma Sophoclis habens.
Intimus es Musis testisq; domesticus, an vis
Vt sequar ergo tuam, docte Meline, fidem?

Ad Musam, de eodem.

Cur non, Calliope, Daphnes è fronde Melini
Cingis apollinei tempora? plus meruit.

Ad Puellam.

Porrexi ex auro munuscula dædala, sed tu
Respuis, & nugas aurea dona facis.
Cinnama nec captas redolentia, nec Amethystos.
Quid faciam, sic nec, lux mea, carmen amas?
Montibus Aethiopum Magnetem poscere cogar,
Fibra tibi cum sit ferrea, sic venies.

Ad Eunum poëtam imperitum.

Ignaros tecum centum trahis, Eune, poëtas.
Porrigit his lautas & tua mensa dapes.
At doctos quoscunq;, velut contagia, vitas.

Cur verò id, prisca colligo ab historia.
A quodam pictus lucem qui nuntiat ales
Extitit: an bellè? dixeris esse gruem.
Cumq; puderet eum frustrà pinxisse, quid egit
Ridiculos inter peßimus artifices.
Insulsæ puerum præcepit adesse tabellæ,
Arceret veras qui pede cortis aues.
Natiuis collata solent quòd falsa prehendi,
Lydius atq; probat fulua metalla lapis.

Belli calamitas.

Nil opus est curua segetes demittere falce,
Rauca quidem raucæ cede cicada tubæ.
Ense ligonis honos cecidit, vestigia cornix
Rara sequi visa est vomeris atq; iugi.
Nunc Cereri messor Vulcanus redditur & Mars,
Ille aruum flammis tondet, & hic gladijs.

Georgio Armaniaco Cardinali, Galliæ Narbonensis proconsuli & Viceregi.

Dat tibi facundum Cyllenius ipse galerum,
Vt tibi Roma sacrum purpureumq; dedit.
Vascones & Galli, Præsul, nec murice tantum
Armaniace, tuo martia Roma micat.
Cum sis cardo poli bipatentis ad ostia, princeps
Gallorum, regni te sinit esse seram.

Non ſine cœleſti numine paſſus homo eſt:
Eſſet vt exemplo, nam miles alacrius audet,
Cùm dux quod iubet, hoc ſtrenuus ipſe gerit.
Iuſtitiam virgo terris Aſtræa fugatam
Abſtulit in cœlum, purior hæc retulit.

Nicol. Latomo, ſummo criminum iudici Toloſ.

Vt data vindictæ eſt tibi functio publica ſummæ,
Vmbra cliens ſtygium vix terit vna forum.
Nil Quæſitor agit Minos, ita crimiña cenſes,
Aequius vt te nil vrna ſuprema queat.

Ad Aluicum creditorem.

Me properè appellas repetens cum fœnore ſortem,
Aluice, conturbem, tu niſi ſuſtineas.
Idibus exoluam decies tibi, non licet ante:
Aſtrologum crede hanc præſtituiſſe diem.
Viribus implentur redeuntis vt oſtrea lunæ,
Sic mea tunc fulgens arca numiſma vomet.
Perducam interea ſtellam prætoris ad album,
Nam Ioue me genuit ſub locuplete pater.
Ciuica plus debet mihi lex: impune morabor,
Si cœli & legis ſyngrapha neutra valet.

Fato Deum præeſſe. ad impium.

Facta hominum certo pendêre atrocia fato

Asseris, ô fatis interiture malis.
Num merito virtus habeat sua præmia, pœnam
Noxia, si non hæc quilibet vltrò facit?
Prostituunt Parcæ cuiuis vænalia fata.
Et Lachesis fatis, huic Deus ipse præest.

Ad Nartiam.

Olfaciam citius fugientem, Nartia, vulpem,
Si qua vel in barathri fauce mephitis olet,
Excussam quàm te post tota crepuscula somno:
Impexam præfers tunc mihi Tisiphonem.
Mox pretiosa linis lasciuo serica moscho.
Suaue nec hoc redoles, hoc malè te potius.

Ad Cupidinem.

Incola non hospes cordis, vesane Cupido,
Incendis propriam cur tibi, quæso, domum?
Scis, Clytiam peramo, quæ ni mihi dura fuisset,
Delicias posset dissimulare Paphus.
Cor valet hæc quanuis absentibus vrere flammis:
Tu spiras, vires inde fauilla capit.
Barbara quam sciscis lex est, nec, credo, negabis:
Cum peccent oculi, pœna cor vna manet.

Io. Bertrando Secundo, Iuris. & in magno consilio Senatori doctiss.

Mi patuit casu Musarum curia nuper,

Quan

Quando Aganippæum visere tento iugum.
Quæq; præest auido studiosa Polymnia fisco,
Te dixit moti limitis esse reum.
Quòd legum fines, Bertrande, extenderis, & quòd
Iura simul dulci cum Cicerone legas.
Ergo, Senator, habes dubio sub iudice litem:
Aemulus est simili, nec sat Apollo fauet.

Gloriam labore parari. ad Valermum.

Te magnâ vt seri commendent laude nepotes,
Percupis, & votum laudo, Valerme, tuum.
Optato potiêre, labor si maximus arcet
Desidiam, famæ quæ parat insidias.
Si Lycomedis iners semper latuisset in aula
Pelides Danaûm gloria, pœna Phrygum,
Cum domita victrix sordêret Achaia Troia,
Dum fouet hunc tepido Deidamia sinu.
Vel sudore igitur quæras, vel sanguine famam,
Acceptam studijs quam refer, aut gladijs.

Epitaphium adolescentis.

Iusta pater fecit iuueni quem mœret ademptum,
Et cœpisse volet quem dedit huic tumulum.
Dedico versiculos, flores sero: sicq; Minores
Ad tumulum violas, carmen, & ossa legent.

Aud

Auditoribus Tolos.

Emoriar, nisi vos oculis plus diligo nostris.
Conuolat ad vestras parua Thalia manus.
Versiculos, socij, furtiua scribimus hora,
Curæ est quid sibi lex illa vel illa velit.
Indignor, si quando refert plebs inscia recti:
Neutrum perficiet, si quis vtrumq; cupit.
Arpinæ toties luserunt carmina chartæ.
Pierium nosti, Papiniane, gregem.
Ille supinus erit, quicunq; (ignoscite vero)
Quale suum, alterius finxerit ingenium.

Io. Coignarto Senat. ob natalem puellæ.

Vt primo enixa est coniunx tibi vere puellam,
Quas Lucina potest, has tibi præbet opes.
Vel parit, & pingit violaria floribus, ad te
Ex dulci fecit coniuge nata patrem.
Lucifer vt splendet Veneri gratissimus ignis,
Vltimus & Solem mane referre solet,
Lætitiam multos infans sic distulit annos.
Plus optata diu gaudia sera iuuant.

Ad Acrum, vt linguam cohibeat.

Ad Clytiam propius si quando accessero, gannis:

Et

Et nisi dona capis, damna minaris, Acer.
Meq;, velut casti caupo sceleratus amoris,
Sacrilega semper præmia mente rogas.
Aglauron nosti, quàm Maia Atlantide natus,
Nec scelus ob dispar, transtulit in lapidem.
Quippe labor non est occulta tacentibus vllus,
Linguaq; vectigal vana doloris habet.

Ad eundem.

Ni linguam cippo cohibes, ni carcer eburnus
Sufficit, hæc eadem vincula vera dabit.

Henrico II. Gallorum Regi.

Odit sæuitiam, scis hoc, Rex optime, virtus.
Quos superas armis, hos capis & meritis.
Iam vinci recreat, tanta est clementia, victos.
Bella domant vrbes acria, ius retinet.

Ad amicum, vt foro & praxi studeat.

Tristia mi narras, non seria, quando Thyesti
Pro dapibus natos Atrea dasse refers.
Quodq; sibi peperit Sæuos Io casta nepotes,
Et fratres cæco, fulmina bina, viro.
Seria sunt, lis, lex, ius, formula, curia, prætor,
Et grauis hinc rediens sacculus ære domum.

Diuitis esuriens mendicat ad atria Clio.
Publica lex Musas fœnerat vna nouem.

Ad Golgum, ne detractoribus moueatur.

Plus minus esse refers terdenos qui mea damnent
Carmina, nonnullis grata fuisse placet.
Si memores magnum quot despexere Maronem,
Scis folia autumno iam sene quot volitent.
Ne diuos taceam, nimbos vult curuus arator,
In pluuium messor dicit acerba Iouem.
Et Scytha Solis amat radios, odere Sabæi,
Cinnama dum feruens annus odora coquit.
Ergo decet linguæ virus perferre dicacis,
Numina cum toties displicuisse legas.

Hug. Asalberto præsidi, & Gasp. Molinerio Senat.

Et cœlum duplici firmauit Iuppiter axe,
Et facibus totidem noxq; diesq; nitent.
Cardine si gemino, si lumine nititur orbis,
Me modo nunc vestrum firmet vterq;, sat est.
Alter adest studijs, alter non defuit vnquam,
O gemino Ledæ sydere lux potior?

Corde intimo Dijs vouendum.

Corde magis superis vllo quàm thure litamus

Gratior haud illis victima corde cadit.
Aegeriæ lucum Numa Rex ſua templa putabat,
Fecit & in tenui ſacra Sabina luto.
Aurea ſi fuerit, nec labe infecta voluntas,
Tunc voto atq; fide Dij potiora dabunt.

Ad Lauſinum.

Tu varia emittis momento carmina, paucis
Horis pauca queo, ſumq; puſillus homo.
Non tamen inuideo cantanti multa cicadæ.
Multa quidem, verum non ita grata canit.
Nec ſatus Actæo Pandione me mouet ales,
Plus ſemel audito mouit olore melos.
Impedias propero, Lauſine, poëmate chartas.
Victurum ipſe diu ſcribere nolo breui.

Non eſt fortitudo, mortem ſibi conſciſcere.

Infelix nimia virtute Lucretia luget:
Nec Bruto facili ſanguine fama placet.
Ob iurgant Indum crebro ſua fata Calanum.
Quòd dedit in flammas mẽbra cremãda ſenex.
Aerumnas vitare nec eſt res ardua leto:
Fortiter has potius ſit tolerare decus.

Henr

Henrico Nauarræ regi.

Iure pyrenæis es dux in saltibus, & Rex:
Multa vbi per syluas currit & antra Drias.
Stridula vox properi Tempe inter florida riui
Quàm sis à claris nuntiat ortus auis.
Mons Francos, animumq; tuum secernit Iberis,
Separat hic animum, non tamen imperium.
Ostendit duo regna, petit mons vertice nubes.
Monte igitur nubes, sydera laude quatis.

Henrico Mesmio Iurisc. & magni consilij Senatori.

Ius negat esse tibi Phœbus deducere riuum,
Aônia per quem iura rigentur aqua.
Lis agitur, diuturna probas per tempora ductum:
In medio laurum proiicit ille foro.
Legibus, & dulci versus modulamine præstas:
Quem Clio edocuit vel didicisse volet.
Non miror, Mesmi, Clarium tibi cedere numen:
Id potius miror cedere quòd puduit.

De Nassente occultæ doctrinæ viro.

Signa tenet mœsti Nassens ecliptica Solis.
Explicat è cantu præpetis omen auis.
Cur Moly ex radice nigra flos lacteus exit.

Cur

Cur leo, si gallum viderit, vsq; pauet.
Historias callet, lyricis sat commodus, vnum
Est vitium: latet, vt cochlea lenta, domi.
Frustrà igitur rerum potuit dignoscere causas.
Nil quem nemo sciat, plurima scire iuuat.

Læta omnia breui interire. ad Macrum.

Intonsi, Macer, violaria respice ruris,
Turbine, vel cadet his falce repente decor.
Talis vita hominum, felix quæ tempore floret
Exiguo: quin mors semper auara metit.

Ad Helimnum Iurisperitum, in loquendo nimis anxium.

Diuidis, & torques leges per frusta, morosus.
Es iuris minimo totus in articulo.
Penthea sic demens quondam lacerauit Agaue.
Sic Atreus natos fratris, Helimne, secat.
Iura diserta, inquis, dum Bartolus explicat, alget.
Et tibi, quod capræ penè maritus, olet.
Sed cuius pauisse pecus nec dignus haberis.
Præualet is sensu, garrulitate minor.
Fœcundas malo quàm florida prata nouales:
Tonsilis haud myrtus plus mihi vite placet.
Infectum dones ingentis ponderis aurum.

Aerea Lysippi tu tibi signa cape.

De Almero.

Vnicus Almer erat Panthi ditißimus hæres,
Orbo nanq; fuit Persica gaza seni.
Sobrius est Almer, denis vix mensibus assem
Excedit; serò ne malè parta labent.

De Lælia triplicis cordis puella.

Geryonem triplici memorant ceruice superbum:
Et stygium terna fauce latrare canem.
Tres animas Herilo (mirum est) Feronia Regi
Nympha dedit: triplex Delia nomen habet.
Corda procos totidem admittentia Lælia cælat.
Vel tria, vel leue cor plus habet vna tribus.

Aemilij Ferreti Iurisc. Epitaphium.

Aemilius multis è milibus interit vnus,
Quem superesse suo fata vident cineri.
Flent Musæ & leges: Diuis si flere liceret,
Sydera iam lacrymis permaduisse putem.

Ad Bertanicum, de Vario captatore.

Cùm tu sis locuples, Varius, Bertanice, pauper,

Obsequio cur te promeruisse cupit?
Dat quas numen inops Vertumnus præbuit vuas,
Sunt comites centum, mensa secunda, nuces.
Diligit ob mores, inquit vulpecula, castos:
Fortunas potius diligit ille tuas.

Florem Clytiæ seu Intubi cæli indicem esse.

Quorsum opus est oculos alienis eminus astris
Mittere, vel Solis quærere facta procul?
Flosculus ornat humum, sed stella pulchrior index,
Assiduus Solis cæruleusq; comes.
Flos Clytiæ Solem sequitur, fixusq; tuetur.
Qui fuit in nympha, flore perennat amor.
Præsaga vt terris conducunt astra colendis,
Sic flore exiguo sydera pandit humus.

De Petro Santandre, Fr. Præsidis filio, Iurisc. & Senatore doctiss.

Dum Minoa fugit, liquidum secat æthera pennis
Dædalus, & litus transit vtrunq; maris.
Pennipedem tetigisse ferunt & Persea nubes:
Bellorophon genito Gorgone sedit equo.
Santandre leuibus doctus non indiget alis,
Sydereas velox si velit ire domos:

Nam gentis ſplendor, pietas, facundia, leges,
Singula ſunt hominis cognita cœlitibus.
Dotibus hunc ſuperi cumulant, mortalibus idem
Subuenit, & nunc ſpem, nũc mihi præſtat opem.
Iam nubes adeant alij diſcrimine multo,
Virtute hic facilem fecit ad aſtra gradum.

Amyntas bubulcus Corydoni paſtori.

Frondentem calamis, Corydon, dum ludis ad vlmũ,
Capripedes Satyri nemorum laſciua iuuentus
Pana tacere iubent, quem tu ſuperare canendo
Sic potes, vt teneri ſuperantur matribus hœdi.
Funebres quantùm vincunt dumeta Cupreßi:
Hic pariunt herbam gemmantia prata ſalubrem.
Quæ paßim ruffis tondentur læta iuuencis.
Stant circum iniuſſæ viridi pro ſepe myricæ,
Quas celer amnis alit lymphis, hinc pẽdulus hamus
Fert tibi captiuos piſces, dum luſtra ferarum
Circuit, abſentemq; lupum canis increpat, idem
Detegit à tergo fures, qui ſæpe fugarunt
In ſyluas armenta rubro trepidantia panno.
Aureolis memini cum pingeret æthera guttis
Heſperus igneſcens, penitus magalia ſimos
Excepiſſe greges, tenuis quos fiſtula tecto
Includi admonuit, numerumq; recenſuit omnem

Fuſc

Fusculus vpilio teneris mera gaudia nymphis.
Sacra Pales ouibus tendet mox vbera fœtis,
Plus mille vt balent vicinis collibus agnæ.
Aequa semel pecori sed nec fortuna senescet.
Venturi vt certo laurus mihi præscia dixit,
Atq; loquax oleæ folium, dum statur ad ignem.
Blandior haud equidem, nobis quoniā arbuta mittis
Atq; atrum prorsus Thysbes è sanguine Morum.
Flauaq; poma, Cydon Cretæ quæ misit ab oris.
Nec piguit raucas epulis misisse palumbes.
Accipies, si forte lares inuisere nostros
Vis, Corydon, pinguem niueo sub tergore taurum:
Qualis Sidoniæ mugiuit amore puellæ,
Et nauit, referens pubentis gemmea lunæ
Cornua, qui nitidum feriet mugitibus æther.

Ad Inuidum.

Successu te sæpe meo cur inuide torques?
Nec tua damna tibi, sed mea lucra nocent.
Immortale iecur Tytij sic vulturis esca est,
Fœcundum in pœnas quod legitur domini.
Pelluces macie, Thuscus si quærat aruspex
Exta, deûm voces corde patente dabis.

Muscæ funus & sepulchrum nobile.

A Sole & nitida quæ tantùm gignitur æthra,

Musca,ortu dignum funus adepta fuit.
Nam forte Heliadum volitans sub fronde sororum
Vix tetigit tenui Succina flaua pede.
Parua suo volucris censim decepta sepulcro,
In Phaëtontæis obriguit lacrymis.
Et quia perspicua præcluditur vndiq; gemma,
Tam latet in tumulo,quàm pretiosa patet.

Guil.Boërio præsidi Tolos.

Mitibus illustras,Boëri,ciuilia Musis
Iura,vt Beryllum fulua corona decet.
Aurea quòd præses,iuris responsa recenses,
Suspicor hæc digitis tacta fuisse Midæ.

Ad Hersum,de Seruilio sene.

Non prius effari quàm desinit,Herse fatigat
Seruilius senio notus,& eloquio.
Plura quidem numero recitas,non pondere:quid tū?
Nec saxum tenui plus adamante placet.
Largius accipitur mustum de vite nouella.
Suauius est vitis quod dedit,Herse,vetus.

Sapiens astris imperat.

Instrumenta Dei sunt stellæ & sydera summi.
Fata hominum flammis stant religata poli.
Mobilibus ceu flectit equos gens Thessala frenis:

Sic

Sic homines cœlum prouocat aut cohibet.
Astra sed inuitus sequitur fulgentia nemo:
Nec penitus cogunt astra, quid ergo? iubent.
Socratis in venerem procliuia fata leguntur:
Ciue suo vixit castior Hippolyto.
Et quanuis timidos gignas, Cyllenie, fures:
Si resipit, stellæ ius dabit Autolycus.

De Lesbia.

Tela leo fugiens Maßyla per auia fuluus
Plus rugit; ostendens quàm generosus eat.
Sic amat, & nostros cum Lesbia reijcit ignes.
Frigida quit flammas reddere sæpe silex.

Vocatur Venus ad nuptias.

Exi floridulis, Venus, corollis:
Et frena Paphias rosis columbas,
Vt currum subeant pares eburnum.
In cœlum reuoles cupit Cupido,
Psychen qui deamat puer puellam,
Ictus sit proprijs velut sagittis.
Ne contemne nurum, Venus, venustam:
Cuius prominuli nitent ocelli,
Ceu noctu fugiens procul Cometes:
Cuius molliculum rubet labellum,

Ceu corallia littoris Pachyni.
Si ſpectas faciem, vides pruinas,
Sed miſtas hyacinthino colore.
Eccur, ô dea, tandiu moraris?
In cœlo tuus Heſperus pateſcit,
Stellas parturiens, nec ampliores,
Quàm Pſyche tibi parturit nepotes.

Fr. Oliuario Galliæ Cancellario.

Ob mores dotesq; tuæ, mera lumina, mentis,
Præmia dat Gallæ Rex tibi prima togæ.
Et ſinit, emeritus tanquam ſis tempore Neſtor,
Abſit vt à miro mirus honore labor.
Elæo vt reſidet ſonipes certamine victor,
Cœlifer Alciden vt ſibi iunxit Atlas,
Sic tibi lex comitem ſuffecit Regia gratum:
Nil vetat in magnis laude valere duos.

De Romulo.

Non ego Dardaniæ demiror prælia Romæ,
Sanguinis & prædæ cui dedit omen auis.
Horrendi ſoboles Martis de vulture ſumpſit
Auſpicium, dijs eſt victima prima Remus.
Romulus hinc dici meruit germanicus, vt Rex
Qui titulos cæſo victor ab hoſte capit.

Abſent

Abſentia ali amorem. ad Ant. Malraſum Senatorem.

Iam nimium inuidit te magna Lutetia nobis,
Maturè vt redeas pulchra Toloſa rogat.
Abſens abſentem, Malraſe, optare videtur
Te magis, amiſſas plus vt auemus opes.
Sic Luna, vt multùm fraterno diſtat ab orbe,
Clara magis ſplendet, Sol minus inde latet.
Eſt abſentiæ alumnus amor, nam quiſq; propinquius
Hoc magis eſt cordi, quò procul eſt oculis.

Ad Candidum.

Obſtringi tibi me, quàm te mihi, Candide, par eſt.
Diſparibus nec par conuenit obſequium,

Ignorantiam quouis monſtro peiorem eſſe.

Exitiale homini nimis eſt Inſcitia monſtrum:
Quod pluſquã Herculeis dignũ obeat manibus.
Vaſtauit Nemeæ leo vix confinia ſyluæ,
Lernæum obſedit fertilis Hydra lacum.
Antæum Libyæ timuit, ſed ſola, ferocem:
Setigero planxit vix Erymanthus apro.
Buſirim Nilus crudelibus oderit aris:
Stymphali nimias fama recenſet aues.
Singula contemnit faſtu ignoratio, toto,

Ni caueant Reges, orbe vigere cupit.

Trophæum loquitur.

Segnitiem exprobro deuictis hostibus index,
Prospera victoris bella decusq; probo.
Hæc circum spolijs stipata columna superbis
Spem domitis tollit, tollit & huic animum.

Aduersus Deum non pugnandum. ad Zethum pictorem.

Titanas mihi pinge polo dare iura minantes,
Pinge poli timidos arce carere Deos.
Si pote, pinge Gygis suspiria, feruidus Othryn.
Quando euellit humo sydera quò feriat.
Ad primum à cælo lapidem fera castra locentur,
Obsidioq; premat numina sancta grauis.
Addito gorgoneos monstrantem cœlitus angues
Pallada, sæua nihil sit nisi saxa cohors.
Et latus in læuum montem moribundus Echion
Proijciat, iam iam guttur ad vsq; silex.
Vtq; loco iaculi iam versum in marmora fratrem
Sustulerit Typhon, mox lapis obriguit.
Insignem hoc titulo suscribito, Zethe, tabellam.
Sic perit, in superos qui leuis arma parat.

Ad Macrum.

Semper hias ad opes, his mens eget, arca redundat.

Diues

Diues es hæredi, ſed tibi, Macer, inops.

De Lauro, ad Ant. Solerium Senat. Tholoſ.

Non melius quiſquam gladijs, quàm iuribus hoſtes
Iuſtitiæ expugnas, Terpſicorenq́; colis.
Hæredem Daphnes, Soleri, tibi nectito Laurum,
Quæ vatum vittas ornat, & arma ducum.

Quòd leges expedit eſſe difficiles.

Abſtruſas legimus lepido ſub tegmine leges:
Sic princeps ſtatuit, plebs rogat, vſus habet.
Lex, cœli donum eſt, gemma pretioſius orbi,
A Ioue quam Minos ſe didiciſſe refert.
A Veſta Scythicus Zamolxis, flauus Apollo
Teq́;, Lycurge, docet: teq́;, Minerua, Solon.
At ſacra ſi vulgò quis detegat, eſto profanus:
Arcano gaudent hæc latuiſſe loco.
Cur oculis captus Romæ fuit Appius? an non
Quòd ſeruis adytum prodidit herculeum?
Numenium noctu torſerunt ſomnia: paßim
Dixit Eleuſinæ myſtica ſacra deæ.
Ius Moſi in rigido qui monte & fulgure fecit,
Ad pulchras rigidum res quoq; fecit iter.

De Meliſſæa.

Cæcus Amor verè eſt, oculos Meliſſæa loquaces

Huic

Huic rapuit, cæco mox rapuit pharetram.

Positum Pe. Forcatulo patrueli.

Mors, decus, & luctus, multo de vulnere manant,
Quæsiit hic celeri morte perenne decus.
Militis extat adhuc Gallo pro nomine functi
Qui mergi lacrymis debuit vsq; dolor.

Ad Oliuarium Maignyum de I. Ant. Bayfo.

Me miseret Flacci, Bayfus quòd scripserit odas:
Scribere si pergas, Pindare, quid facies?
Exercent Musæ per Phocidos arua Choreas
Dum Bayfus digitis, oreq; dulce canit.
An ne duos, Maigny, superet, doctißime, quæras,
Quid scio? te alterutro plus potuisse scio.

De Corallio & mente humana.

In Siculo ramosa leges Corallia ponto,
Vilia sunt in aquis, sed pretiosa foris.
Nanq; frutex censim lapidescit in aëra surgens,
Et rubra pro tenui germine gemma nitet.
Sic hominum sordet fluctu mens obruta mundi,
Libera quæ scandens æthera, lumen habet.

Veris aduentus, ad Augerium Lantanum ſanctæ crucis Abbat.& Theodorum Muletum in magno conſil. & Fr. de nuptiis, ac Pe. Pappum Toloſ. Senatores.

In Scythiam iam fugit hyems, violisq; pruinæ
Ceſſere, & nemorum iam reuireſcit honos.
Argentum in nitidum fluuij cryſtalla liqueſcunt,
Limite legitimo ripa coërcet aquas.
Carcere nunc frenat captiuos Aeolus Euros,
Laſciuo tantum luſitet vt Zephyro.
Tot varios diues veſtit natura colores,
Quot Veneris Ceſtum texuit alma Choris.
Et mane aſtrorum dum cogit lucifer agmen,
Vnio rore teres prata per vda fugit.
Picta cohors auium dulci ferit aëra cantu,
Lætitiam alitibus prouocat ales Amor.
In Cyprum reuehit Venerem cum vere nitentem
Aurato incumbens alba columba iugo.
Floribus inſtat apum luditq; emiſſa iuuentus,
Dictæa hæc puerum pauit in vrbe Iouem.
Delicias veris vobis has eſſe perennes
Opto, Senatores, deliciæ Dryadum.
Et verno & veſtro tellus ornata decore,
Iam faciet cœli forte pudere Deos.

Hoſt

Hostem non esse contemnendum.

Vir Sparte salubris fertur vixisse Lycurgus,
Legibus imbuit hanc, mœnibus exuit hanc.
Hostibus exponi nudam mos imperat vrbem.
Hostes qui nunquam despicit, ille sapit.

In Soricem, quæ Homeri opera præroserat.

Cur ius hospitij violas, tenuiscula Sorex,
Sacrilego veterum ne pete dente libros.
Mæonio saltem decuit te parcere vati,
Infestos ranis qui tibi pinxit auos.
Rode penū: quis, quæso, vetat? tere dulcia liba:
Aonidum sacris parcito delicijs.
Non abies, qua Graius equum compegit Epëus,
Armatos mendax tot peperit Danaos,
Quot tu fers vtero prærosa volumina. sed quis
Indocili sinat hæc succubuisse feræ?
Ingluuiem ni forte tuam sic versibus exples,
Quando immortales viua sepulcra decent.

De Vesquino iurisperito.

Vesquinum patriæ iam reddidit Italis hora
Mellifluos præter nil olet Alciatos.
Percurrit Phrygio structos Antenore muros:

Non procul à Veneto Ius bibit iste Pado.
Chelum pro cœlo bellè sonat, & sapit Alpes,
Iura scit Alpino frigidiora gelu.

Ad Rusticum.

Rustice, vere nemus grata cum frondibus vmbra
Exuis, haud satyris tam nocuisset hyems.

Pe. Paschalio doct.

Alciden biduo absoluit Saturnius, in te
Quattuor insumpsit docta Thalia dies.

Ad Varcum.

Hæc quia sunt oculis tantùm sacrata pudicis,
Hunc rides, tanquam sit spado, Varce, liber.
Lampsacio dignum miraris numine carmen,
Comica quod Thaïs, sed pudibunda, legat.
Non ego molliculis famam pro versibus opto,
Rideri vt longa posteritate queam.
At si obscœna tuis respondent carmina votis,
Quod facias, quanuis me pudet, id referam.

Ad librum docti cuiusdam exulis.

Et mortem & laudem diuina Philippica donant
Autori, est Musis qui sacer Ausonijs.

Sic

Sic, liber infelix nimium, nimiumq́; disertus,
Auxilium debes, cui facis exilium,
Sic lasciua suum Nasonem scripta relegant
Euxini æternam littoris ad glaciem.
Admisit'ne aliud furijs deuotus Orestes?
Sustulit hic matrem, pellis, acerbe, patrem.

Asylum nullum esse aduersus mortem.

Damnatur quiuis mortalis ad vltima natus
Supplicia, omnes mors imperiosa trahit.
Non oblita senum, pueris lactentibus instat.
Et nondum natis lumen iniqua negans.
Nec tantū arcesšit mœstos Acherontis ad vndam,
Lætitia Chilon fertur obisse Lacon.
Lexq́; rogata manet parcarum incisa tabellis,
Cum rapit hæc in ius, nequis asyla petat.

IVRISPRVDENTIA.
De Carolo Lotharingo principe & Cardinali illustriss.
AD PHOEBVM.

Me, Deli cœliq́; decus nisi Phœbe iuuabis,
Quid faciam? cogar vertere nempe solum.
Credidit in gemmis atq; auro ingentia Præsul,
Quàm dedit huic nomen, tam Lotharinga capit,

Adde

Adde, quòd ornatus puri putiq; talenta
Mi dedit, hæc tabulis Gallia docta notat.
Ne veniant primæ, cum sors reddenda, calendæ,
O siste alipedes, Delie, Solis equos.
Mi proba mille daret cœlestum nuncius ales,
Dulcia qui nitidi mella lepôris habet:
Ni sit in ære simul facundi Præsulis: en vult
Cyllenen minimo vendere Mercurius.

Ad nobiliss. principem & Cardinalem de Guysia Loharingi fratrem.

India Nysæum cælo dat, Thracia Martem,
Dat Phœbum Delos, Creta dat ipsa Iouem.
Hoc, præsul Guysiane, tibi iam Gallia debet,
Qui regum vt veteri stemmate, mente nites.
Gallia permutat potius quàm prospera donet,
In cœlum hanc propria tu quoq; laude refers.

Hannibalem alioquin inuictum sola voluptate superatum fuisse.

Regna ferox latè populans Oenotria vastat
Hannibal, & Romæ ad mœnia fert Libyen.
Mox celebres fecit diro certamine Cannas,
Vtq; frequens stygiam presserit Vmbra ratem.
Comminuit Pœnum sola hæc victoria Regem,

Quem Mars non potuit, mox terit vna Venus.
Alpibus indomitum mollis Campania fregit.
Quod Cannæ Aeneadis, dat Capua & Libycis.

Ad amicum religionis nomine, per calumniam accusatum.

De diuis dicêre parum syncera locutus.
Propter opes hæc fit lis tibi, propter opes.
Nam sibi confinem, qui detulit, optat agellum:
Verbaq; de falso mutua teste rogat.
Et facit, & patitur quiduis ob munera iudex.
Est tibi, quàm sit ager, pluris habenda salus.
Prædo petit, tu des, eunuchi Castoris instar
Propter quæ petitur, qui pretiosa metit.

Qualem vltionem esse deceat.

Si graue sit crimen, si sit leuis vltio, non est
Hæc finis tetri criminis, imò gradus.

De Sextia Iana.

Quot sunt ora duplex tempus spectantia Iano,
Tot, nec plus, vt ait, vult sibi Iana procos.
Nescit vtrum potius spoliet, sic cum videt agnos
Forte duos dubiam fert lupa raua famem.
Hostibus eueniat talis victoria nostris.
Nam prior huic, quanuis diues, abibit inops.

Principi Estæo, Ducis Ferrar. Filio, res in Gallia gerenti.

Contempsit socerum proles Laërtia Solem,
Semideam & Circen postposuit patriæ.
Atqui res Gallas, princeps inuicte, sequentem
Ausonis ora petit te tua, Franca tenet.
Te tenet vt cretum regali è sanguine matris:
Iam proauos armis, quos imitare, refers.
Nil igitur Celtis debet Ferraria, nam te
Dat multis similem regibus ista ducem.

De Carolo Forcatulo per somnum viso.

Torserat illustres latè nox humida cursus,
Vt mare sydereus grex bibat hesperium.
Elysijs atauus redijt cum Carolus aruis,
Vel nolente dedit qui mihi Sole diem.
Non qualis Phaëton raptatus in æthere visus,
Aemonijs Hector vel religatus equis.
Nā chlamis hunc candens stellatimq; aurea cinxit,
Vt genium possis credere veste pium.
Me tamen increpuit verbis facundus amaris,
Quòd nostri premitur nobilis inuidia.
Labe vaco, iuriq; vaco, gratisq; camœnis:
Hinc simulor priscis non generosus auis.
Mox anima Zephyri genius spirante recessit.

Tunc virtutis amor, luxq́;.dolorq́; subit.

De iustitia, lege, principe, Deo & Sole.

Iustitia est legis finis, lex principis altum
Est opus, at princeps fertur imago Dei.
Virtutis deus est pulchræ rex, ignifer huic Sol
Est similis, ni Sol nocte subinde cadat.

P. Rebuffo Iuriscon. Lutetiæ profitenti.

Pontificum canonas, leges scis pandere regum,
Munera pontificis, paucá ue regis habes.
Ostrinum capiti tegmen tibi clauiger addat
Iulius, & nullus non tibi cedat honos.
Secula solum obstant, auro, Rebuffe, tacente,
Aenigma interpres perspicuus loquitur.

Neminem necessariò, natura cogente, malum esse. Ad Allagrum.

Si tua quos lædit petulans lasciuia, nil tu,
Quàm, natura parens nos ita finxit, ais.
Causari licet hoc lolio, licet atq; Chelhydris.
Nam non arbitrio, vi magis ista nocent.
Allager, inuitum si te peccasse fateris,

Inu

Inuito pariter debita pœna tibi eſt.
Fac redeas ad te:toruos procul abijce mores.
Qui mala deſtituit,ſat facit ille boni.

Ad Fannium.

Te peto,te non ſat robuſtum vernula dixit.
Luctari tecum nolo,quid ergo? loqui.

Quid fera ſignificet,quam Matreas aluit.

Matreæ Pharij ſemet fera ſæua vorabat.
Monſtrificam prorſus nunc ego narro feram.
Cui ſimilis tamen eſt tellus,quæ prodiga ſi quid
Eſt largita parens,rurſus auara rapit.
Dat ſata,dat mutos piſces,pictasq; volucres,
Dat pecus, excepta mente, dat hæc homines.
Corpus humo,ſed mens ſemper non redditur aſtris.
Nam grauis ob vitium tertia regna petit.

De Anguiano principe ſtrenuiſs.

Fiet vt Auſtrinum videat (ſic auguror)axem,
Gallica dum lætus rura colonus aret.
Henrico Anguianus quia ſic pro principe princeps
Bella ſubit,regni mox vbi finis erit?
Aethiopes gemini geminis à ſolibus vſti
Finis erunt,cœlum ni penetrare licet.

Ad Ornum patria expulsum.

Cur adeò comes est vitæ tibi mœror? an insons
Quòd liuore tuum profugis, Orne, larem?
Exilium faustos transcribet numen in vsus,
Sacriferam Aeneæ duxit vt antè ratem.
Mœnia Sidonius Cadmus descripsit aratro,
Sed patris à regno diuitijsq; procul.
Ludentis tanta est plerunq; industria sortis,
Vt iactura lucrum, lætitiamq; ferat.
Fregit Amalthea cornu Dictæa recuruum
Dimidium flores, copia, fama, decent.
Sydere donatur Iouis hinc nutricula, lætis
Cum placuit diuis, tristia damna iuuant.

Ad Vastorem.

Nubem frontis amas, Curios, Brutosq; seueros:
Extrema, loqueris, mollior auricula.
Vtile, sed tantùm verbis, postponis honesto:
Qui nil turpe putat, semper honesta facit.

Ant. Fumæo Paris. libellorum in regia magistro.

Vrbs si cum doctis Aeneïa nosset Athenis
Quàm prædulce tuo nectar ab ore fluat,
Illa daret fasces, nec deesset eburna curulis:
Archon & Actæa summus in vrbe fores.

Gall

Gallorum excellens fruitur te Curia, priscis
Secula sic facis hæc inuidiosa viris.

Amore dolorem & industriam acquiri.

Phœbe gemelle, faue: Phœbiq; gemella, faueto:
Sit famuli vobis mutua cura, precor.
Sit mihi, sit vindex vtriusq; argenteus arcus.
In me iam fregit tela Cupido decem.
Ille meos peior Lestrygone pascitur artus:
Nec benè respirat, pulsa dolore quies.
Ignescit, fateor, menti solertia maior.
In nostra laurum mente Cupido serit.
Per Cybeles raptat me Dindyma, fitq; Citheron
Peruius, & sacro proluit amne labrum.
Pusio sic Veneris lædit feliciter, vnà
Vim facit & cordi, vim dat & ingenio.

In Menalinum.

In nos, in leges (nec miror) peßima profers.
In notis latrant nam, Menaline, canes.

Ad Iunium Cercinnam.

Nil cum Marte, inquis, tenero, Cercinna, poëtæ.
Bellaq; qui cantat, vix benè bella gerit.
Aönidum Calaber dic num fuit Ennius expers?

Pegaſeo frondem primus ab amne tulit.
Centurioq; tulit nodoſam in prælia vitem,
Dum nec deeſſe duci, nec ſupereſſe cupit.
Acria prædulcis ſuccendit prælia cantus.
Non amat imbelles bellica Muſa viros.

Falsò dici nihil factum quin fuerit prius. ad Ant. à Medone Cardinalem, Archiepiſ. Toloſ.

Nil fieri Samius fertur dixiſſe Lamiſcus,
Quin factum extiterit (fallitur ille) prius.
Impius æternum tacito molimine mundum
Innuit, effœtos nec noua poſſe Deos.
Quin natura opifex ſolerti indagine multas
Aut premit, aut artes inuenit, atq; polit.
Teq; ſinu mira, Præſul, nouitate recepit,
Reddendum tellus ſydus in aſtra nouum.

Vitem ſerit, ac Baccho dedicat.

Hanc Bromio vitem voueo, quæ parturit vuam,
Vt quam rite manus nunc ſerit, ipſa legat.
Verba, pedesq; reget ſaltem feſtiua nepotum,
His vitem, hæc nobis carmina pauca ſero.

De nuce arbore, & Acanthidis auiculæ pullis, explicatio.

In nuce grata rubis nidum coniecit Acanthis,

Tacta

Tacta Iouis telo nux tamen alta viret.
Fouebat nido pullos tot parua minutos,
Ostendit pluuias quot mera nox Hyadas.
Hos prædo accipiter pedibus mox abstulit vncis,
Et fuit his bustum, queis dedit antè necem.
Dic quid id est, Calchas Thymbræi numinis augur,
E nuce septem animas quòd simul vna rapit.
Vix capio, ni nux frondens à fulmine rursus
Significet pressum surgere posse virum.
Exiguos rapiens portendit fortior ales,
Quem non esse viro cum potiore parem.

Ad Musam.

Nocticolor pullos Clotho si neuerit annos,
Tu niueum, Clio candida, texe decus.

Arnoldo Ferrono consiliario Regio Burdigal.

Præfractos Francûm Reges, Ferrone, disertos
Tu facis, & vita das redeunte frui.
Plus Mausoleis hoc est donasse sepulchris,
Et tibi quàm Pharias ponere Pyramidas.
Veridicus iudex est scriptor, legibus æquans
Historias, in idem cogis vtrasq; nemus.

Veritas eruentis damno sæpe aperitur.

Ositrites Miris narratur viribus herba,
Sumpta vel in medio corde venena domans.
Interit extemplò tamen hanc qui vellit, & orcum
It de Niliaco, quo viret herba, solo.
Sic sæpe eruitur longa è caligine verum,
Qui tamen hoc alijs eruit, ipse ruit.

Nobiliss. Archæi vicecomitis Ioyeusæ Fil. Epitaph. ad Mercurium.

Tristitiam lenis plectrum, Cyllenie, pulsans,
Vt summi Archæus causa doloris obit.
O vtinam lenisse queas simul impia fata,
Impia quæ bello præripuere ducem.
Cum tamen huic adeo sit vitæ fama superstes,
Post propriam natus creditur esse necem.

Quid Harpyiarum fuga vetus sibi velit.

Harpyias inuita tulit Phineïa tellus,
Quas alites poßit dicere quis furias.
Non cœlum his propius tetigit quæ sanguine gaudet
Pygmæo, vel quæ fulmina gestat auis.
Quid faceret cæcus Phinæus, vt turpia pellat
Monstra, quibus curuæ sunt celeresq; manus?

Deplor

Deploratus erat, geminos quo tempore fratres
Hospitio Zeten suscipit & Calaïn.
Penniger, & rapidi proles Aquilonis vterq;
Obscœnas volucres, nec sine laude, fugat.
Nemo potest animi fœdas extrudere sordes.
Aethera ni penna qui rationis adit.

Thomæ Foreso Lodouæo, Senatori.

Te tulit ora iugis, riuisq; sequacibus amplè
Fertilis, & te nil lætius ora tulit.
Quem simul ac iuris vidit prudentia, dixit,
Hactenus Vlpianos non memini esse duos.

De pluuia mensis Aprilis.

In gremium terræ rorat genitabilis imber:
Vt fluitant Euro tritica, nube madent.
Solibus occiduis dum tingitur aurea nubes,
Ad Danaën rursus quis putet ire Iouem.
Hæc sunt veris opes, quas longũ spondet in annum,
Sub trabe cum tenuem ponit hirundo casam.
Et quantùm hyberno lætantur puluere farra,
Tam verno gaudent luxuriantq; luto.

In Ignauiam.

Fœda parit matri similes ignauia natos:
Pauperies huic est filia, mas dedecus.

Perdid

Perdidit hæc Sybaris notiſsima mœnia luxu,
Cui potior vigili ganeo, ciuis iners.
Quicunq; ingenium patitur ſylueſcere deſes,
O Dij, quàm varias educat ille feras.

Daumalio principi clariſs.

Aſſertor patriæ, præcellis iure Camillum:
Hic captam eripuit, ne capiatur agis.

Iuri ciuili vale renuncians,
bellum cogitat.

Siccine tu pergis mihi, ius, imponere, dic te.
Ingratum tandem nonne fuiſſe pudet?
Quò vertar? noui, capiam pro legibus arma.
Caſside viq; caput munio, caſtra ſequor.
Hinc abeo, Cotem Galli tyronis, ad Alpes,
His quot bella geram, totq; trophæa feram.
Diſcedens angor, mortem ceu forte duobus
Dum meditans, natis Colchis acerba parat.
Cæſar vt in ripa dubitans Rubiconis, an hoſtis
Ingratæ fieret fortis eques patriæ.
Iam cinxi arma, vale ac ſalue, te dicis amicum.
Diſtat ab hoſte nihil ſiquis amicus obeſt.

Aegidio Boyero Epiſcopo Agathenſi.

Vt cœlum repetes (nondum, ſi credar, adibis)

Cœleſt

Cœlestes tacito cardine verte fores,
Te Dij si audierint, cogetur cedere mystes
Tunc Numa, ni officijs se abdicet vltrò sacris.
Quid faciet, qui nil didicit quàm mystica? sed tu
Nobilis humana flamen in arte vales.

Dolet ob Clytiam læsam vulnusculo.

Cum Clytia in sylua libuit colludere, punxit
Huic acus, & tinxit sanguine parua manum.
Sic violet quisquam minio subtiliter album,
Quod saltu in Mauro belua ponit, ebur.
Tam paruum potui lacrymis lauisse cruorem,
Dum plus illa meo tacta dolore dolet.
Sic Diomedis ego nolens in crimine versor,
Aëtolo Gnidiam cum ferit ense deam.

Philippo Coustouxano publico iurium professori Tolos.

Plutonis galea, & lydi Gygis annulus adsit,
Hos digitos, illa cinge, Philippe, caput.
Non vtroq; tamen poteris desisse videri,
Conspicuum te ius semper vtrunq; facit.

Ad Phœbum, ut Celocem puniat qui de Poësi malè senserat.

Quin recoquis, Pæan, velocem, inuicte, sagittam,
Qua

Qua perijt Python pectore fixus humi.
Te prisco Pythone Celox crudelius vrget,
Quando nouem treßis vix ait esse deas.
Audit, amatq; minus Siculã quàm carmina Scyllã,
Quæ latrat varios inguine cincta canes.
Huic ne cede necem, pœna est hæc omnibus æqua,
Copia fac desit sæpe petita necis.

De Io. Begatio consiliario Regio Diuionensi. ad Vraniam.

Quæ res, musa, tenes Cyrrhæ, quæ regna caballi
Alitis, an dulcis te piget imperij?
Discere ius optas cithara tantisper omissa,
Nam tibi ius famam, sed dabit ista famem.
Consule Begatium, nam quis tibi notior hoc est?
Legiferam vincas vt Cererem, atq; Themin.

De Daphnes exitu ac fructu.

Virginis in Laurum versæ Peneïdos ora
Aspiciens mœstus lurida Phœbus, ait:
Fronde triumphali succinctus, mitia saltem
Poma legam, Diuûm non ego malo dapes.
Heu solitos mores arbor tenet, & quod amarum
Extitit in Nimphæ pectore, bacca refert.

Nic.

Nic. Abbæo medico.

A te artis medices differt Epidaurius autor:
Aurea barba illi est, aurea lingua tibi est.

Ad manes eorum qui in acie ceciderunt.

Num bello extincti funebrem quæritis vrnam?
Vos, cœli toto fornice numen humat.
Inijcit atq; vltrò terram natura relictis,
Communi expectans omnia danda rogo.

Alexand. Farnesio cardinali Rom.

A latio Tybri ad Gangem Solisq; cubile
Farnesiæ est, præsul, fama vagata domus.
Sceptrigeros pro pace vigil componito Reges,
Halcyonum belli fluctibus adde dies.

Ad Dianam.

Ducis odorisequos quó nam Dictynna molossos,
Lusitat instabili dum leuis aura coma?
Et pharetra ex auro bellè Threïssa renidet,
Syluiuagos an tu sic agitabis apros?
Non traxit versutus Amor te Latmia talem
Ad iuga: nam celer hic otia lenta petit.

Nihil

Nihil laude dulcius.

Dulce est laudari, melos est nec dulcius vllum.
Non Thamyræ plectrum, non moriturus Olor.
Impellit medios equitem laus pulchra per hostes,
Vt plusquàm mortem fugerit iste fugam.
Pangere laus suasit victura volumina, multam
Parrhasij ad noctem detinuitq; manum.
Nos ferit hæc blandæ mercedis virgula, laudem,
Laude nihil dignum qui facit, ille fugit.

Ad Helnam.

Connubio vt tetrici nos iungant, Helna, parentes,
Vis, nec ad id forma, sed magè dote ferar.
Vis prece, vis etiam nummis, vis nitar amicis,
Mille petita velut sis Atalanta procis.
In nigra tibi dos dicetur forte moneta,
Proq; breui quæstu tempora longa teram.
Aureus ob Congrum quàm stultè mittitur hamus.
Persimile est damno cum nocet, Helna, lucrum.

Ad Iudicem furem.

Iure abigis fures, prædo nequißimus idem.
Nec metuis proprijs vt capiare plagis.
Artificis memorêre bouem sortemq; Perilli,
Cum similes mores autor & vltor habes.
Nemo sua alterius deleuit crimina pœna,

Sed

Sed proprio vt sorex disperit indicio.

Dianæ de Sanualier Valentinæ Duci.

Te iuuet vtra magis virtus fortunáq; certant,
Hinc generis splendor militat, hinc animi.
Hinc facies qualem Cinyreïus optet Adonis,
Hinc suadela tuis mel operatá labris.
Iudice sub Phœbo nutat victoria, censet
Diffundi, quia res non liquet, ille diem.
Mente Diana tibi tam par, quàm nomine, palmam
Nec dat Fortunæ, nec negat ingenio.

Vinci interdum præstat. Ad Lermum.

Non semel in melius vertuntur, Lerme, pericla,
Et satius vinci quàm superare fuit.
Et cladem & famam Teucris Saturnia donat,
Dum fauet Argolico iam duo lustra duci.
Enauit Phryxus Colchos, at decidit Helle,
Aeterni vitreo nominis apta freto.
Fert hũc fulua pecus, fert hãc laus viuida, nec quit
Aut casu, aut tumulo nobiliore frui.

Ad amicum pacis studiosum.

Si dirimis pacto quantas vicinia lites

Instituit, prætor penè quiescet iners.
Nil venator agit iuga per Gortynia telo,
Si quisquam à Cretæ saltibus arcet apros.

Ad Aulam.

Quicquid habet Serum pretiosi velleris arbor
Quæris, & Aula tuam prodigis in tunicam,
Circuit aureus hanc limbus, teretesq; mamillas
Comprimit, at fuluum colla monile grauat.
Inquinat & rubrum. pudor est, tua serica coccum:
Sic pudibunda magis pallia mente geris.
Portia num timuit fastu castißima tanto?
Scis habuit Brutum nata Catone virum.
Matronæ propera, non pictam sumere vestem.
Illa tegit corpus, detegit hæc animum.

Io. Paulo à sancto Io. Baroni.

Iuppiter in Phrygiam quinquennis sæuijt Idam,
Et tenera fulmen torsit inerme manu.
In cunis geminos natus Ioue sustulit angues,
Vir demùm à Mauro poma Dracone tulit.
Eloquio sed tu duplici cùm, Paule, nitescas,
Tam iuuenis, tibi mens non'ne videtur anus?
Non est hoc specimen, nunquam tua floruit ætas:
Nam suaues fructus ista repentè dedit.

Ad

Ad Alerten.

Cæſarei omninò iuris penetraſſe receſſus
Diceris, es fama req́; peritus, Alers.
Sed quos, quæſo, iuuat tua vox vel cautio? de te
Num ſchola vel lucrum grande, trbunal habet?
Iuppiter an vegeto donauit lumine ſolem,
Ignifer vt ſoli ſplendeat ipſe ſibi?
Naſcitur haud quiſquā ſibimet, Reſpublica partem
Vendicat, & partem proximus aut ſocius.
Occultam ſuperat manifeſta induſtria curam:
Inſtruit artifices illa, ſed iſta facit.

Ad Theodorum.

Me pugnæ meritum palmam, Theodore, fateris.
Hanc adimi vt patiar ſæpe diuq́; rogas.
Aiax, inquis, erat potior cui ceßit, Vlyſſe.
Aureus hic blandè me iugulat gladius.

Claudio de Orezon caſtrenſi epiſcopo.

Mens, forma, & munus, tria ſunt nec blandior iſtis
Diuûm hominumq́; parens quæ tibi ſacra dedit.
Mentem perpoliunt ars & facundia, nec tu
Hanc generis vinci nobilitate ſinis.
Quis ſit in ore decor taceo, quæ functio celſi
Muneris, hoc præſul, Roma dat, aſtra probant.

Viue diu felix, diuûm nam serius ædes
Mens decet vt repetat, quæ benè sic habitet.

De Basijs Clytiæ. Ad Callicum.

Quod sapit Aßyrius paulò ante incendia nidus,
Quod Nardo effusa, Callice, fractus Onyx.
Inguine Sarmatici legitur quodcunq; Zybethi,
Quod lambens Eurus thura Sabæus olet.
Hoc Clytiæ, fallor, nam plus mihi basia fragrant.
Idalius vellet qualia mane puer.

Ad Valentem, de rure suo.

Ad lapidem breue rus quartum, neç pœnitet, emi:
Annua nam segetum Gargara fundit ager.
Est cœlo atq; solo nusquam clementior, aut qui
Autumno satiet fertiliore lacus.
Ampla sub vrbe, Valens, spectas prætoria, lauro
Semper opaca tibi, lætaq; vere rosis.
In steriles hortos sulco deducitur vnda,
Argillam iussæ sic comitantur aquæ.
Horrea plena volo, tu vis vmbracula, differt
Rus vtrunq;, illud nos alit, hoc alitur.

Ad Galleonem.

Barbigeræ aßiduus sugis lac, Galleo, capræ.
Iuppiter haud tamē hinc, sed magis hircus eris.

Nihil

Nihil temerè credendum.

Credulitas multis peperit ſcelerata dolorem.
Hæc verò eſt fictis edita blanditijs
Audijt vt Theſeus neglectæ iurgia Phædræ,
Hippolytus rapidis dilaniatur equis.
Angitur hinc, falſumq; ſcelus dum vindicat vltor,
Incidit in verum credulitate nefas.

Ad Io. Menſencallum Senatus Toloſ. Præſidem Max. Iuriſc. doctiſs.

Manſencalle, amplum claris ſpaciaris in orbem
Laudibus, Alcmenæ filius vt pedibus.
Monſtra manu Alcides, docta tu mente repellis.
Ille feras, mores deijcis ipſe malos.
Ius accepta refert legum tibi dulcia bella.
Qui ſuperat potior, doctior alter abit.
Dij faueant pulchris, præſes æquiſsime, cœptis:
Qui clauum in puppi iura vehente tenes.
Da mihi, ſi merui, leges vt pandere pergam.
Et faueas, ſi mi iuſta palæſtra fauet.
Sic Deus in cœlo ſtatuat ſi quando Senatum,
Te ſuperis ſerum reddere iura velit.

Ad Atlantem.

Maure ſenex, caueas infecti nomine damni,

Stellifero impendet magna ruina polo.
Forte Iouem Typhon congestis montibus vrget,
Quodq́; queunt superi fortè nequire timent.
En tonat, & subitas accendunt fulgura nubes.
Enecat & nimbus fulmina crebra celer.
Ni resipit cœlum mundi pomœria tutus
Egrediar, virtus qua sibi pandit iter.

Ad Lancum.

Præfaris te elegos in vulgus mittere tristes,
His risu excepi flebiliore nihil.
Loripedes versus par est donasse cachinno,
Non aliter lacrymas barbitos ista ciet.
Quæsitum in Memphi non si lugebis Orisin,
Non orbam in Sipylo si recitabis anum.
Te, quem Dÿ perdant, vlcisci sat potes vnus,
Ridiculis elegis si dare plura velis.

Remedium amoris. Ad Aulum.

Tanquam sim Pæon vel Phœbi filius, vrges,
Sanus amans fieri qua ratione queas.
Res est perfacilis: dextrum te sumere cornu,
Quod ceruus syluis occulit, Aule, decet.
Quodq́; Filix inculta refert, hoc tundito granum.
Nec cinis Assyriæ desit odorus auis.
Protinus incipies formosam odisse puellam,

Tynd

Tyndaris vt Paridi inuisa Lacæna Phrygi.
Sæuijt in sese Dido; sed fata vetabant,
Quod nequit à medicis, impetrat à gladijs.

Mosellam flumen ditioni Gallorum nunc subesse.

Quod mutasse suos dicuntur flumina cursus,
Et soliti tandem pœnituisse vadi;
Non miror, Phrygium legimus migrasse Caïcum.
Atq; Mosella recens Galla per arua fluit.

Disertiss. du Tou. pariss. aduocato.

Cum suprema tua decoras subsellia voce,
Eloquio totum laude replesq; forum,
Diceris & meritò Cygnus Sirenq; forensis,
Iudicium extorquens Præsidis è manibus.
Quid faciet probitas? gliscent nam crimina sensim,
Si capitale tua diluis arte nefas.

De nomine Stephani.

Omen habet nomen Stephani, nec flagito laurum:
Ex hedera Στέφανον, Calliopæa, peto.

Ad Mortem, in funere Nicol. Bertrandi Præsidis.

Mors, actum video, misella, de te:

Non est nequitiæ negare pœnas,
Cùm plus sit rationis, & caballo.
Tollis, non homines, sed vniones:
Reges, inde duces, & eruditos.
In sanctumq́; manus iacis senatum.
His in funeribus modus paretur,
Maiestatis eris rea imminutæ.
Rides, coniicio quid ipsa sentis:
Haud tu perpetuum times Areston.

Ad Pacem.

Pax mellita redi Diuûm de sedibus, ardor
Bellicus inualuit iam satis, alma redi.
Sanguine rubra prius tellus, nunc oßibus albet.
Deest populis hæres, tu nisi grata venis.
Iura silent, rerum potitur pro iuribus ensis,
Pro falce est iaculum, pro pietate metus.
Pax tandem miserere, redi, tu sola triumphos
Excellis varios: est tibi alumna quies.
Pro lituis huc mitte Lyras, milesq́; Lyæum
Cùm biberit galea, ter pede pulset humum.
Ditis ad antra nigri properet feralis Enyo,
Otia mortales, Marte silente, decent.
Læta adamante liget mœstum concordia bellum.
Lis opus est hominum, pax opus alma Dei.

Ad

Ad Iudicem de lictoribus.

Te faciunt magnam lictores iudice prædam,
Dum clam facta audes dissimulare palam.
Publica lex illis vnda interdicit & igni,
Hac sylua excisa crede deesse lupos.

Theronis Tumulo.

Heu periјt Theron, Tellus turbatur, & aër,
Hic caruisse dolet tristis, at illa volet.
Prouida sustulit hunc, sed coruis inuida, febris,
Atropos huic funem torserat ad laqueum.

Ad Ligdam.

In somnis visa est Hecube Priameïa coniunx,
Pro puero accensam se peperisse facem.
Laomedontis opes quæ vastet & Ilion ingens,
Infaustum enixa est mane sed illa Parin.
Teq́; facem somno vidisse puerpera narras:
Fax Hecubes vrit, Ligda, sed ista micat.

Fortuna quandoque vincit consilium.

Eximium forma miroq́; colore Nealces
Pinxit equum, Lapithæ vix aluêre parem.
Vt cursu sonipes gressus glomerabat anhelans,
Sed spumam frustra fingere pictor auet.

Spongia, cùm varios quæ terſerat ante colores,
Forte cadens, frenos oraq; tangit equi.
Spuma labris optata manet: ſic proſpera clari
Sors valet artificis vincere conſilium.

Ad Mercurium. de Fr. Bartolomæo Senatore, & Præſide deſignato.

Eſt iſtud quod ais, Maiæ doctiſsima proles,
Theſaurum ingenij Bartholomæus habet.
Vel geminis virgam ſerpentibus ipſe trilicem
Huic dabis, ingenita ſi grauitate petat.
Mortali an dubitas ſuperari præſides? ſic eſt.
Sors alterna viros nam premit atq; Deos.

Nihil cunctandum. ad Aulum.

Nil properè fieri, nil ſerò conuenit, eſt his
Quid mediocre, virũ quod decet, Aule, probum.
Mala cito Auguſto ne punica carpe, putatam
Serius in vitem iura Cuculus habet.
Tardigrada alipedem ceruum teſtudo moretur,
Nectere quando moras vel properare cupis.
Segnitie leuior tamen eſt ſolertia præceps.
Sæpe quidem hæc, fateor, ſemper at illa nocet.

Quid virtutem alat.

Spes laudis, pœnæq; metus, duo iuris & orbis
Vincula, virtutis sunt alimenta sacræ.

De Lyridis matrimonio.

Lyris heri stolido denupsit stulta marito:
O Hymen, insolitos funde, Hymenæe, iocos.
Occidit Alcestis charo pro coniuge coniunx,
Occidet hæc, desit rixa diurna domi.
Inter vtrumq; probet lex dona impunè licebit,
Mutuus alterutrum non spoliabit amor.

Mutua amantum periuria.

Non amo iam Clytiam. sed non est credula, iuro
Lumina per Clytiæ, signa gemella, meæ.
Tangit & illa aras, liquidò iurare parata est,
Vt me nec (quia sim perfidiosus) amet.
Inficians adfert numen, nec credo, tonantis
Cùm dea sit, si non per Styga iuret, amat.

Ad Vidamum Chartræum nobiliss.

Quo ruis in pugnam, quo tandem Vidame? num vis,
Vt Codrus pulchra quærere fraude necem?
Cùm cupias Francûm latos protendere fines,
An cupis vt vitæ sit tibi meta breuis?
Ignitum Colubræ tonitru vitetur ahenæ,

Quos premit obsidio, deditione cape.
Vulcanum metuo, Marti quia fertur iniquus,
Ne pro Threicio te petat ille Deo.

Ad Sextum.

Aeger eras, nunc, Sexte, vales, dum desijt vxor
Mœchari, & ceruos cornua iacta iuuant.

Alphentis pueri Casus, & transformatio in arborem.

In Phaëtontæo dum flumine succina quærit,
Pollicita est Graiûm quæ leuis historia,
Delusus rapidis Alpheus immergitur vndis,
Destituitq; vagum lubrica ripa pedem.
Nereïdes luxisse ferunt, & nectare lotum
Margine fallacis deposuisse vadi.
Populum in herculeã mutatur, & vndiq; frondens
His, per quas perijt nunc quoq; crescit aquis.

Ad Vastorem Sophistam.

Argutus capiti fingis mihi cornua, Vastor,
Quod non amisi me retinere probans.
Oblustor sic ipse: tua cum coniuge quidam
Lusitat, is verum non ne sophisma facit?
Quid mihi, quid've tibi cum nugis, Vastor, acutis,
Candidam Anaxagoras dum negat esse niuem?

Est,

Est, igitur, non est, repetas, variamq; Chimæram:
Sat ratio vires Bellerophontis habet.

Amorem marinis fluctibus conferri.

Quàm scitè genitam dixerunt Cyprida Ponto
Antiqui, fluctus sunt vtriusq; graues.
Vis tamen haud vexat timidos Aquilonia nautas,
Quandoq; quin curuet lenior aura sinus.
Perpetua sed amans vexatur quisq; procella.
Sic luna occiduum fertq; refertq; fretum.

Simoni Raynerio Pedenacæo. Senatori Tolos.

Exiguæ ornatus, Rayneri, maximus vrbis,
Ingens magnifici viue senatus honor.
Nestora penè refers Pylium discrimine paruo.
Vincitur ingenio, vinceris vt senio.

Omnia ruinæ exposita præter virtutem.

Qui tam mira recens habuit primordia mundus,
Idem erit accenso præda suprema rogo.
Iamq; superba ruunt terræ miracula tristi
Clade, Semiramiæ deest Babilonis opus.
Regia quid Cyri lapides vbi vinxerat auro
Memnon? puluis abit nam domus, vt dominus,

Omnia dispereunt in longa obliuia, virtus
Sola perennis erit mentis ad astra comes.

Ad Gastricum.

Cùm meliora Ceres mandarit semina campis,
Si viridi Liber palmite vina dedit.
Decussas quercu cur mauis pascere bacchas?
Cur Zythi præfers pocula prisca mero?
Maiorum explosos miraris, Gastrice, mores.
Gracchus vterq; tibi plus Cicerone placet.
Viue recens viuis, proauûm te secula tangunt?
Cùm laudes veteres, fac imitêre nouos.

Nicol. Angelerio & Io. Brigaliero Iurisp. Paris. Doct.

Est alter vestrum Pylades, est alter Orestes.
Tertius, hoc si vos mî datis, addar ego.
Tres vno legimus nitentes pectore fratres.
Gerionem nostis, nam fuit iste triplex:
Sed malus Alcidi decimam dedit ordine palmam.
Vos doctrina mihi, iuraq; sancta ligant.
Hostibus obsessam nostris præcluditis arcem,
Candidus obscuris rebus amicus adest.

De Portia & Cleopatra.

Falleret vt variæ sortis ludibria constans

Portia

Portia, se exhausto, proh dolor, igne necat.
At regina feros Aegyptia pauerat Hydros,
Cùm tulit ad manes damna pudoris atrox,
Quin scelus exuperet Phariæ Romana quid obstat?
Insontem hæc læto dedidit, illa ream.

De Polybo poëta ac potore egregio.

Principium rebus, quas dat natura creandis,
Milesius Lympham credidit esse Thales.
Vendicat hoc vino Polybus, qui seria nunquam
Ante mero fuerit quàm benè potus init.
Ad versum gelido Musas non euocat antro,
Vim ruber huic sacro dat pro Helicone cadus.

R. Foresio causidico.

Tractat inexplicitam, Foresi curia litem,
Henricos rutilos qua peto mille dari,
Grammaticus non est is quo cum litigo sanus,
Nomina cùm nequeat soluere, verba facit.
Iudicis affectus dicendo cogere nosti,
Ingenium & leges cum in numerato habeas.
Coge reum, ambiguis fingentem Prothea formis,
Et cui summa, licet dissimulata, liquet.
Pro stipe difficilis numeri quid possis? habeto
Phœbei hos numeros præmia causidici.

Ad Musam, de Myride iam anu.

Musa iocosa, refer, quo me deluserit astu
Cùm rugis nondum vixit arata Myris.
Tempus edax formam detraxit, me petit vltrò:
Hanc fugio, ad sæuos certus abire Getas.
Quam quærit, speculis faciem non inuenit vllis,
In cineres versam nec negat esse facem.
Tertia de furijs an sit fugitiua rogaui,
Præteritum lacrymæ penè dedere decus.
Te pudet, ipsum me miseret, dulcißima, verùm
Non redeunt vernæ quæ periere rosæ.

Io. Forcatuli fratris Epitaphium.

Curatoris eget cœlum, delirat, & olim
Proditur impubes plus habuisse animi.
Centenos prisci vixerunt molliter annos,
Vix vnam exeruit frater Olympiadem.
Quàm fuerat satius non hunc ostendere terris,
Indole conspicuum vel retinere diu.

In natalem Henrici principis, Duce Vandomensi & Iana Nauarr. Nobiliss. coniugibus & parentibus editi. 1553.

Viderat æthereas vix infans principis auras,

Carmine cum ſauet, & gramine parca valens.
Agnouit matrem riſu, vagitibus æquans
Auditam ſaxis arboribusq́; lyram.
Si Veneris puero pictas ademeris alas,
Cæſia ni velet lumina, talis erit.
Pande ſinũ, Vandôme parens, Dux inclyte Francûm,
Sydera delicias en tibi Galla pluunt.
Hæredem virtutis habes, qui fortis auita,
Ni properas, hoſtem pellere ſede queat.
Fida niui, vicina polo pueroq́; Pyrene
Albet, eam ſolers veſtit & ornat hyems.
Audaces cohibet violas, cœlumq́; colorem,
Quem referat lætis vnio rebus, amat.

Iac. Corniliano Vabrenſi Epiſcopo.

Ingentis pueri Heroumq́; exordia vates
Mille canunt, priſcis mos fuit vt Druidis.
Nos vtriusq́; iubes Henrici dicere gentem,
Antea non potui, ſed queo, quando iubes.
At ius, quod noſti, Quintus ceu Mutius, inſtat,
Iniecta reuocans otia noſtra manu.
Buccina quod caneret, tenui dicemus auena.
Magna ſolet quanuis lætitia eſſe loquax.

Scriptis mortuos videri viuere.

Euocet vt falſos & lacte & ſanguine manes,

In ſcrobe cur vetita murmurat arte Magus?
Laodomeia, virum coges exire ſepulcro
Litterulis: animæ ſcripta dabunt animam.

Dictatum auditoribus Toloſ. poſtridie D. Lucæ. 1553.

Pallas Erichthæis vltrò migrauit Athenis,
Coctilia vt ſubeat mœnia Tectoſagum.
Hîc, ait, ô proceres, colitis ſanctiſſima iura,
Quæ quoniam auditor plurimus ornat, amo.
Mellificæ populantur apes vt florea rura,
Sedula ſic iuri grataq; turba vacat.
Bis mille an genij ſtudioſa ſedilia complent?
Elyſiumq; puto nunc vacuum eſſe nemus.

Symbolum Pythagoræ. ad Aulum.

Multa olim præcepta dedit qui commoda vitæ,
Ne cor edas Samius commonet, Aule, ſenex.
Scilicet inſomnes curas ſecurus omitte,
Ne ſuperûm tenta conſilio adeſſe Deûm.
Cùm terræ nequeas, ipſum te, noſſe puſillum,
Numinis arcanum cur fodis ergo adytum?

De Heluenore Mathematico.

Argenti fontes, montem promiſerit auri

Tetric

Tetricus Heluenor, si modò dragma datur,
Cuncta ex crinito præsagit fata comete:
Nec patitur solos scire futura Deos.
Si nitida stellam suspexit nocte cadentem,
Vt cœli interpres, mira & inepta canit.
Quas promittit opes, emungit somnia narrans.
Atq; alios verbis, se replet aureolis.

Duranto Sertano Præsidi Tolos. æquiss. cui adolescens ipse tractatum ciuilem de auiculis dedicauit.

Ex auibus tibi me cœpi, iustißime præses,
Dedere, sat fausta res mihi ceßit aue.
Non Cygnus nautis, ducibus non regius ales
Prosperior, nobis quàm fuit iste fauor.
Dant & Serta tui redolentia nominis omen,
Candida quæ vario flore Napæa facit.
Victrici impediat quiuis sua tempora lauro:
Florida tu iuris, iureq; Serta geris.

Naturam homini nouercam esse.

Non natura parens hominis, sed dura nouerca est,
Instituens vitæ fletibus auspicium.
Damna subit quingenta puer, nec cessat adultus.

Esse miser, viuax est sibi pœna senex.
Meta mali letum: viuis est rara voluptas,
Sæpe suam quiuis si perit ante necem.

F. Duareno Iurisc.

Vraniam vidi Gallorum in finibus, huius
Ambrosius valles inficiebat odor.
Imbuerat dociles ciuilia iura sorores,
Iura tuo pandens è, Duarene, libro.
Vt facilis rumor Phœbi hæc peruexit ad aures.
Vincere te voluit, vix imitator abit.

Nemo perfectus. ad Asterum

Alterius censor mores & facta requiris,
Et nihil exactum, nil teres, Aster, ais.
Mantica siquid habet tergo tua, dispice, ne sis
Lynceus externis, Oedipus in proprijs.
Pythica vt intonsi dixêre oracula Phœbi,
E cunctis sapiens milibus, vnus erat.
Esse Solon iam nemo potest, abiere Catones.
Qui minimùm præ alijs desipit, ille sapit.

Ob Clytiam de Ioue timet.

Furta Iouis metuo tauri, suadentis & auri,
Ne Clytiæ fucum cautus amans faciat.
Tyndaris Iliaca cedat laudata rapina,

Aptior

Aptior illa rapi, dignior ista capi.

De equo Henrici Regis Gall. Ad Lectorem.

Regis equum videas, vt corde & naribus ignem
Spirat, & auratis vt tumet in phaleris.
Prosilit vt Pyroïs, Solis perducere currum
Dum parat, & Solem iam vehit iste merum.
Arguta ingenti sociatur pectore ceruix.
Talis ad Eurotam Castoris ibat equus.
Quàm meruit Diuûm pasci præsepibus, auras
Qui præit, & flores vngula nulla terit.
Vix adeò nitidis Thrax visit pergama Rhœsus,
Qeis Xanthi incassum Lympha cupita fuit.
Audeat hic rapidos Rheni contemnere fluctus,
Alpinumq; celer præteriisse iugum.
Mira Medusæus non est res Pegasus, alas
Non habet hic, verùm flauus ad astra volat.

De Amore & Apibus.

Conueniunt & Apes & Amor: nam spicula melli
Mista gerunt, æris gaudet vterq; sono.

Petro Bertrando Grandisyluæ Abbati.

Terra ferax oleæ est, Cereri, vitiq; fidelis,
Antistes, priscos quæ tibi fecit auos.

Ornarunt vrbes, palatia, templa, nepotes:
Consilio, eloquio, relligione, boni.
Rex ad summa tuum euexit fastigia fratrem.
Rexq; præesse sacris rebus vtriq; dedit.
Gens numerosa licet Bertrandûm floreat, illam
Quem peperit raram fructus in orbe facit.

De auro Tolosano, ad Cupidinem.

Nunc age me rursus fallas, pharetrate Cupido,
Lælia me miserum fingat amare, sat est.
Callida riserunt tota me somnia nocte:
Hinnitu auroræ hæc gaudia turbat equus.
Lætitiæ vsuram tantisper colligo, dum vult
Nescio quem, plures Lælia propter opes.
Ergo, Tolosa, redit Delphis quod sustulit aurum
Brennus, & antiquis quod fuit exitio.
Sacrilego nolens emitur mea Lælia nummo:
Quo superat stolidus, quo fugor, illa perit.

Ad Gannum.

Bis mille octauo profers mihi carmina mense
Edita, vitalis vix benè partus erit.
Longius hæc differ, nam quod citò nascitur, illud
Dispereat par est vt citò consilium.
Sic faciles fungi gracilisq; cucurbita colli
Proueniunt: bruma sed properante cadunt.

Quodq; diu latuit, longè placet. ergo probato,
Ganne, velut lector, non velut autor opus.

De Iesu opt.max. in mare spatiante.

Fluctiuago est quondam spatiatus in æquore Iesus,
Cæruleas vt qui voce creauit aquas.
Attonitus latitans viridi Melicerta sub alga,
Consuluit matrem penè ita Leucotheam.
Veliuolum pedibus pontum quis libat, & audet
Spreuisse imperij iura liquentis? ait.
En iubet Aeoleo noceat ne fluctibus Euro,
Indignor rapidos terga dedisse Notos.
Cui Dea: cum cœli tentat laquearia fluctus
Lambere, lætitiam nil nisi fluctus agit.
Mergetur citius clarum quæ Mœnalis ambit
Vrsa polum. ventos hic domat, astra regit.

Ad Ponticum.

Obsequor obnixè, iampridem seruio: sed nil
Assequor, vt mortis flagito dona tuæ.
Mi bessem iactas tabulis scripsisse supremis,
Sospitis & viui gratior esto triens.
Munificus nobis Asiæ Rex Attalus haud est:
Romanis moriens quòd Diadema dedit.
Largitur nemo, potius de pluribus vnum.

Eligit inuitus, Pontice, qui moritur.

Ad Io. Auratum poëtam doct.

Inuenies posthac raros, Aurate, poëtas,
Hinc rupe auditus planctus in Aonia:
Tu quoniam sitiens vlla plus Dipsade, fontem
Pimplæum hausisti, glarea sicca manet.

Ad Maltum auarum.

Sic frueris nummis vt picta, Malte, tabella:
Aspicis hos, tangi dixeris esse nefas.
Es reliquis durus, soli tibi diues acerbus.
Poma famens captat sic fugitiua senex.
Hoc auidus magis es quo ditior. an dolus auget
Te Diuûm, vt locuples sic moriare fame?

Ad Calaïm puerum, de duello insigni.

Da strhophium, Calaïs, nam vultũ obnubere cogor,
Vt referam tectus quod iuuat atq; pudet.
Acre puella subit mecum formosa duellum,
Memnonis astra nigri cum fugat alba parens.
Quod cupit illa, timet: decuit timuisse puellam:
Candida Puniceus pinxerat ora color.
Lene lacessitos in me detorsit ocellos.
Cui cessit, nebulo, cœpta palæstra, rogas.

Nesc

Nescio, sed rapui fragrantia basia Myrtum:
Sic sequitur Pini vulnera mirus odor.
Antæum rigido dixisses Hercule pressum:
Nam simul ac cecidit, fortior inde redit.

Christophoro Dilliero Iurisc. Academiæ Tolos. Cancellario claris.

Historiæ formido fides ne fortè laboret,
Dilliere, vt qui sis scribere nunc meditor.
Quis credat lympha saturum Parnaßide, sic ius
Scire virum, cui sint & charites comites?
Quis te Academiæ credat sic esse salubrem,
Falciferi vt referas aurea secla senis?
Candidus hoc credet lector, nam recta libenter
Qui facit, hic alios iudicat esse probos.

Ad Arnum disimilia dicentem.

Vata refers varijs vtens Acheloïa verbis,
Flamma modò, & fulmen fis auis, inde draco.
Nunc ambis rigidi Stoam laudare Cleanthis:
Nunc Epicuræo delicijsq; faues.
Pontificem serò tutaris, mane Gebennam.
Fastidita semel, mox mihi iura probas.
Hoc solũ es constans, quia plus quã magna locutus,

Vix peragens annos post tria lustra duos,
Obstupeat iuuenem te, Burge, sacerrima nosse
Iura, tribus Neruis nec neget esse parem.
Et, quod fata ferunt Phorci tribuisse puellis,
Ilicò te natum dixerit esse senem.

Sanguine Triumphum quæri.

Extremos aciem vicit Lenæus ad Indos,
Dum captiua manu cinnama thusq; facit.
Egit & hostili primus de clade triumphum:
Nec geminæ currum destituêre tigres.
Belua sæua dedit dirum mortalibus omen,
Nam præda & fuso sanguine miles ouat.

Ad Valnum alienæ doctrinæ furem.

Spartani leges sectaris, Valne, Lycurgi,
Solertem furto te facis atq; dolo.
Et placidæ te sacra puto fecisse Lauernæ,
Scripta vafer media quòd mihi luce rapis.
Inseris, hoc pudeat, libris quos edis ineptis,
Gemmea ceu iungas Cymbia fictilibus.
Non potes occidi, cum sis fur, Valne, diurnus:
Hoc bissena vetus nanq; tabella vetat.
Lex sinit vt duplum repetā: sed perdere simplum
Malo ego, tantundem quàm simul accipere.

Senatus Gallorum proſperè ſeme-
ſtres inſtitui.

Dimidium cenſent Henrici legibus annum:
Dimidium ceſſant hoc quoq; Rege patres.
Nulla procella ſacros ſperet vexare Senatus,
Alterna vt gemini fata Laconis habent.

Ad amicum, vt vires ſuas
expendat.

Reſpondere palàm triduum de legibus audes.
Rem pulchram magni fructus inire cupis.
Sed metuo vilis ne ſit ieiunaq; tandem,
Et planè inuitus nunc tua vota ſequor.
Sic Sol flens nato rutilas permiſit habenas,
Indocilem prorſus quem ſua fata tenent.
Præcipitans periјt flammis dedit vnda ſepulcrum.
Qui proprias vires excutit, alta poteſt.

Iac. Rognerio Moncutio Senatori.

Infida vt lymphas hauſerunt Belides vrna,
Sic iura incaſſum perdidiciſſe queror.
Iura, Senator, agunt alios ad culmina rerum,
Purpureumq; decus dant tibi, & accipiunt.
Sæpe me dixti perdocte impoſtor, Ephebo,
Perge puer, nam ſat dexteritate vales.
Explico ius, ſcribo, ſubduci præmia cernis.
Parta alius noſtro vulnere rura metet.

Ad

Ad Blinam.

Sæpe tuos dixiſſe oculos fulgere pyropo
Pœnitet, & quanuis frons ſit eburna, nego.
Amplius & rubro non ſplendet Iaſpide labrum.
Collaq́; Chryſolitis non quatis alba comis.
Turgidulas nec habes Berylli colle papillas,
Vertice quæ roſeo mi placuere diu.
Durior ô Adriæ ſcopulis, me ſpernis amantem,
Nil, quaſi ſis abſens, te mala noſtra mouent.
Ex geminis ſi priſca parens te Pyrrha creaßet,
Marmoreum quare cor tibi, Blina, dedit.

Ad Meſippum.

Quis neget à priſco te Actæone ducere gentem?
Te, cor, te cerui cornua, pesq́; decent.
Suſtinuit duros ſextili menſe labores,
Igniferum Titan occuluitq́; caput.
Oppoſitum languens Phœbes an reſpicit orbem?
In Solis tanquam funere cuncta dolent.
Quin magis Aſtreæ conſpectu virginis ardet,
Vltima quæ cœlum de ſuperis adijt.
Pallet amans deſes, properat nec tangere libram.
Nam nihil ex æqua lance peregit amor.

Ad Flaccum.

Alterius ſemper ſugillas crimine famam,

Tam

Tam malus, vt nemo ſit tibi, Flacce, bonus.
Quælibet eſt Helene mulier tibi, leno maritus
Iudicio loqueris non ita, ſed vitio.
Sic ambis vulgi riſum, nomenq́; faceti.
Luctum pro riſu tu mihi, Flacce, cies.
Liber ab vltrici Prometheus alite dicat:
Flacce, tace, aut tundi malo Tonantis aue.

Iacobo Santandre Senatori Pariſ.

Ingentem Venetæ molem quis prædicet vrbis,
Neptuni in liquidis quæ celebratur agris.
Grande, Senator, habet populoſa Lutetia nomen,
Æthere quam tua laus in liquido ſtatuit.

Virtuti ærumna familiaris eſt.

Æſtuat in cliuo doctrinæ interrita damnis
Virtus, eſt cui Sors proſpera, rara comes.
Dum dulcis grato tetigit præcordia Thyrſo
Laudis amor, Cymbæ peruia Scylla patet,
Stamina lanificæ ſi non mihi candida ducant,
Detexta ex auro tela ſuperſtes erit.

De Cotta Iudice imperioſo.

Vix tribus auditis turgeſcit Cotta libellis,

Maxima rixa fabæ sit quibus ob modium.
Ius gladij nec habet, nec præter friuola censet.
Ingenio dignum sustinet imperium.
Seq; Senatorem dixisse pedarius audet,
Si tonet in mœstos voce rudente reos.
Sic finxisse Iouis tonitru Salmonea dicunt,
Qui verò demùm fulmine tactus obit.

Ad Hippoliten Amazonem.

Fers peltam, atq; auro scalentia baltea cingis
Vt redeas victrix Herculis, Hippolyte.
Nequicquam hoc audes, Ioles imitêre laborem.
Nuda fuit, pugnæ quando trophæa tulit.

Literas tempori resistere, ad Illustriss. Dom. ab Auansone, libellorum in Regia magistrum.

Lysippi vna dies spirantia deteret æra,
Radicem in marmor vel caprificus aget.
Pyramidas minuit paulò violentior auster.
Pompeij absumpsit clara theathra dies.
Obdurat tua fama tamen labentibus annis,
Nec magis hæc quàm mens, mente reperta perit.
Incolumis doctrina Iouis non extimet iras.
Non adeò cariem Myrrha Cedrus've ferant.

Ad

Ad Leſtum venatorem.

Aera,lares,& rura pater tibi,Leſte,reliquit.
Rura,miſer,vendis,prodigis æra, lares.
Paſcis equos,celeresq́; canes,quæretur egeſtas
Sæpius his timidus quàm per amœna lupus.
Sic fuit Actæon prædæ venator alumnis.
Odryſij taceo nunc Diomedis equos.
Diuitias Zeno non ſic contempſerit,ac tu:
Qui curſim fieri nudus inopsq́; cupis.

Ad amicum,de liberorum delectu.

Conſulis & ſeptem natis cui plurima dones,
Ingenio quoniam criſpulus ille valet.
Fac imitêre aquilam,hæredem quæ iudice Sole
Eligit,abdicat hunc qui malè nyctat iners.
Cui doctrina placet præſertim atq; intima cœli,
Huic etiam debes iugera plura ſoli.

De puella ſeni data.

Quæ vultu Veneres,oculis quæ ſpirat amores,
Cur roſeum aßiduis perluit os lacrymis?
Orba ſponſa ſeni plangit gracilla, doletq́;,
Fuſca velut monſtro cum datur Andromede.
Imbellis Libycum ſic longè odiſſe leonem
Territa ieiunè murmure dama ſolet.

Suppo

Supposita est lepidæ si quondam cerua puellæ,
Huic superos optem supposuisse leam.

Antonio Broulato Moniayo nobiliss.

Tu genus illustri clarum de stemmate ducis:
Sacra tamen generi nectere iura paras.
Sic, Broulate, decus gemini te nominis ornat.
Quod capis ex atauis, quod paris ipse tibi.
Magnifici nunc is illustrem Regis in aulam.
Dij faciant vt sis, qui, puto, prorsus eris.

Ad Achillem.

Cur formosa tuo mactata Polyxena busto est?
Aeacida, an dolet hac non licuisse frui?
Inferijs surdo cineri crudelibus vsum,
Stulte, putas cædes posse piare nece.
Nil gener admittit Cereris nisi conscia recti,
Pectora. vix aufert impietate scelus.

Ad Carum.

Indigus, atq; Ithaco longè versutior Iro,
Laudas Zenonis dogmata & esuriem.
Vltricesq; manus detestans, parcere victis
Esse iter ad cœli culmina, Care, doces.
Hoc probo, si Curius doceat contemnere luxum,
Regia pro rapis fercula qui repulit.
Esse pium iubeat Pelæus victor in hostem,

Indica qui Poro reddidit arua nigro.
Pauper es, & nolens innoxius, ille probetur,
Qui potuit, stricto nec tamen ense nocet.

Qui vult amari, amet. ad Læliam.

Lælia, te quereris non sat constanter amari,
Cum leuiter redames, Lælia, cur quereris?
Persea dilexit Cepheïa nigra venustum,
Gratior hinc illi candidiore fuit.
Quam quis vult alij legem præfigere, seruet.
Incendet raró, ni prius ardet amans.

Margaritæ Valesiæ Henrici Regis sorori illustriss.

Te dignum superi dedère nomen,
Quod Cypris viola rosáq; pinxit,
Et mallet decies eo vocari:
Tu Regis soboles, sororq; Regis,
Et Regis thalamo locanda summi:
Felix, candida, Margarita, vincis
Rubri candidulos maris lapillos,
Quos aër studio pluit serenus.
Te fulgens adamas, virens Iaspis,
Postquam suspiciunt, repentè pallent,
Vt coràm rutili sorore Solis,
Stellarum fugiunt greges minorum.
Te si quandoq; Cynthius videbit,

Cum

Cum ſis virgo nitens & erudita,
Iuret tergeminæ parem Dianæ.

Annæ à Montmorenci, Tribuno celerum & Conneſtabili clariſs. Gall.

Gallica quò penetrant domitis præconia rebus,
Fama tuum volucris pertulit vſq; decus.
Huic facit haſta viam, tum mens interrita bello:
Hoc Aſia, hoc Cadmi ſcit ſoror, & Libye.
Conſilium celare ſuum nec quiuerit hoſtis,
Nec didiciſſe prius quàm videt arma tuum.
Tam te ſtella Iouis quàm Rex gratiſsimus ornat,
Illa ſuas vires, hic dedit, Anna, vices.

Admonet amicum virtutis colendæ.

Macte animi præfracte puer, tua gaudia differ,
Aſtrorum in patriam te labor altus aget.
Aerumnoſa fuit ſemper res optima virtus.
Difficilis claris orbita rebus adeſt.
Illecebris Diuûm perdes ſolatia, veras
Delicias fictis ne pete delicijs.

De Clinia.

A cœna Clinias maniplos promiſerat auri,
Nocturno fuit hæc pactio ſcripta mero.
Induxit Diuos teſtes quot ſuſtinet Atlas,
Vt cœlum albeſcit, desijt eſſe memor.
Quid faciam? iurata rogem niſi numina, pactum

Ebrius vt seruet, sobrius aut feriat.

Multitudinem industria superari.

In Graios miras fertur duxisse phalanges
Confidens Xerxes barbara sceptra tenens.
Perfecit, pelagi neglecto fœdere, pontem,
Leander Seston quo rediturus eat.
Aßiduis audax traiecit nauibus æquor
Inuitum, pinu sub fluitante latens.
At domuit Xerxen rarus, sed cautior hostis.
Tum fuit hoc Martis, tum fuit artis opus.

Ad Mopsum.

Doctus homo, sic rumor ait, tibi, Mopse, videris:
At mihi vix doctus, vixq́; videris homo.
Forte aliquid te musa docet temulenta sinistrum.
Dißimilis fias si tibi, doctus eris.

Parem amari oportere. ad Helimnum.

Agrestem peramas tu Naïda, candida Naïs
Tota est in Daphni: te fugit, hunc sequitur.
Lentiscos capræ vix sex pascuntur amaras
Daphnidis, at totidem claudis Helimne, greges.
Nil mirum, fugit Phœbum Peneïa Daphne,
Lentior in satyros nempe futura leues.
Endymione suo virgo Latonia flagrat,
Latmia de cœlo saxa frequentat amans.
Prætulit is Glyceren, Glycereq́; cydonia misit,

Cæculus

Cæculus hos parili læserat igne puer.
Lata viget longo lex indelebilis æuo,
Ne quis quæ ue, nisi tentet amare parem.

Ad Bert. deyguam, aduocatum regium in senatu.

Patronûm tam rex, quàm Regis, Deygua, patrone,
Dicendi qualis Tullius est opifex.
Aurea tam trepidos vrget facundia sontes,
Innocuos quantum non sinis ipse premi.
Eloquiumq́; fori tibi non submittere prisci
Blandiri est prisco, Deygua diserte, foro.

Ad Auroram, vt properet.

Cur Aurora manes? quin inficis æthera cocco?
Segnis an ob claudos biga moratur equos?
An noua mane senis retinet te cura mariti,
Vt Cephalus pulcher fluxerit ex animo?
Non lux rursus erit Memnon qua filius hasta
Punctus, Dardaniam sanguine tingat humum.
Roscida nox miris ornauit prata lapillis:
Ne huic cedas, auro necte rosisq́; caput.
Ad tropicum iam sol porrexit lumina Cancrum.
Surge igitur, nox est mors mihi, vita dies.

In vaniloquum.

Fac dicenda semel crebrò meditere diuq́;,
Nam volucris noxam lingua frequenter habet.

Hinc conuiua Iouis fugientibus æstuat vndis
Tantalus, ausus erat nempè tacenda loqui.
Flaua puerperium dominæ reserasse Galantis
Nollet, & Argiuæ verba dedisse deæ.
Infrenis quoties dominum sua lingua fefellit,
Vix tibi percurrat ferrea lingua triplex.
Quã trutina expendes vox criminis effluet expers,
Pectore nata prius, quàm leuis ore volet.

Ad Ostricum.

Ac tibi sim cordi, me laudas, Ostrice, paßim.
Dic mihi commisi si quid, amâbo, mali.

Aegidio Magistro, primo senatus Paris. præsidi.

Quæ regio est vsquam tam famæ imperuia, quæ non
Audierit quam vim, docte Magister, habes?
Vis animi, qua nulla viget præstantior, ornat
Te, claro vt nitidum Solis honore iubar.
Vix ferat hanc oculis lucem Iouis armiger ales,
Gens tamen hanc æquo lumine Galla videt.

In tumulum Geriæ puellæ.

Cum suprema facit formoso Cypris Adoni,
Sic dolet, vt Geriam tristis obisse fleo.
Fit tellus hæres pretiosis rebus, & astrum:
Hoc repetit mentem, cætera dantur humo.
Lilia de calathis, Dryades, nunc spargite plenis.

Add

Addite sanguineis alba ligustra rosis.
Florens vt tumulum de marmore nimbus honestet,
Quiq; meis imber decidit ex oculis.
Heu fleo, vos fortes ignoscite, nanq; putaui,
Ne, dea cum fuerit, non moritura foret.

De Alexand. magno eiusq; parentibus.

Audet Alexander, mundum qui marte subegit.
Se genus Ammonis dicere cornigeri.
Pellex Iunoni defertur Olympias, & tu
Iustam ad te prolem, magne Philippe, trahis.
Inuidit nimios hominum tibi victor honores,
Qui similem metam laudis & orbis habet.
Hunc vltrò agnouit pro nato Iuppiter: at nunc,
Ne fratrem se audax asserat, vsq; timet.

Io. Iac. Mesmio. F. Iurisc. & Senat. peritiss.

Ora linens pueri (sic aiunt) melle Platonis
Portendit regnum dulce lepôris apis.
Sceptra dedit post longa Plato tibi secula, Mesmi,
Et quæ vlli suades, verius illa iubes.

Ad Hesperum.

Mane præis Solem, sequeris mox, Hespere, serò:
Nomine mutato sydus haberis idem.

Occasioni parendum esse. Ad Tallum.

Sorbenda hellebori tibi potio trina meraci,

Fallor, an & tota dignus es Anticyra.
Seria qui ſemper facienda negotia differs,
Segnis heri, atq; hodie, cras ſtudioſus eris.
Halcyones perihibent quantū eſt occaſio præceps,
Glauca Thetis pictas quas amat inter aues:
Nidificant pelago tranquillæ tempore brumæ,
Cum Siculas vexat nulla procella rates.
Deſine venturas tibi mox promittere luces,
Quæ cupis vt facias, cum potes, illa velis.

De Gellia.

Expers Lucinæ duo per quinquennia luxit
Gellia, cui facies integra, fama parum.
Surdis nec quicquam diuis operata, ſupremam
Comperit in thermis, quando lauatur, opem.
Nil mirum Romæ flamma ſi Seruius eſt Rex
Editus, è medijs hæc grauis exit aquis.

Figmenta poëtarum dulciter decipere.

Dum ludo teneris luſus diſcedo poëtis,
Inſidiæ vatum ſunt, puto, deliciæ.
Heſperidum petij, quam ditat fabula, malum:
Vile viret magni nominis arbor inops.
Dulciſonos viſo num det Meander olores,
Flexa aliquid raucum per vada cantat olor.
Turbidus auro an ſit, quæſiui Lydius Hermus,

Aurum

Aurũ absumpsit iter, vixq́; tot Hermus habet.
Hæc finxisse decet vates è fonte madentes
Quem dedit indomitus quando volauit equus.

Io.Mansencallo. F.Aduocato Regio in Senatu.

Sponsio facta à me est,pignus tenet ecce,sequester,
Alciatus si te vel minimo vngue præit.
Iam vici, sed quæso tuæ nil detrahe menti,
Addat & ille suæ si nihil, obtinui.

Lucellæ dulciss.funus facit.

Officio exanimum corpus seruabat inani
Aegyptus,myrrha nec sine thure linens.
Celtæ auro capitis cingebant ossa polito,
Vt facerent mensis pocula grata feris.
Quàm pretiosa magis Lucellæ funera feci.
Occidit: in nostro corde sepulta iacet.

Ad Aemulum.

Lætare ecce tuis obsonia multa paraui
Dentibus,his cursim vescere, amâbo, iocis.
Sibila cur cessas in nostros vipera libros?
An virus medio de Phlegetonte deest?
Posteritas hos fronte leget sed forte serena,
Venturis scripsit sacra sibylla viris.
Iam multi atq; boni laudant quæ respuis,his tu
Non plus mente vales,imò pudore minus.

Iuri ciuili nauiter ſtudendum, ad Cinthum.

Difficiles aditus habuit prudentia iuris
Semper, vt & fatis optima quæq; grauant.
Quò labyrinthæi ſuperes diſcriminis artes,
Hoc ratio lini glomere texit iter.
Fac relegas veterum ſelecta volumina pernox.
Depoſitum nec mens perfida, Cinthe, neget.

De Gorgonio.

Coniugis opprobrio locuples Gorgonius, aufert
Expilata ſacris præſuli æra domum.
Fatidici des huic Ammonis cornua, nolit:
Nam reſponſa Deûm non petit, æra petit.
Vnum Acheloë tuum ditauit copia cornu,
Floribus & pomis quod redolère ferunt.
Cornibus arboreis vtrinq; inſignis abundat
Hic auro, & gemina cuſpide cuncta ferit.

De Gulielmo Philandro Architecturæ bonarumq; artium peritiſs.

Dum vitium facerent clari palatia Phœbi,
Concuſſit dominum tanta ruina metu.
Mulciberi notas implorat ſedulus artes,
Pro ſtipe des, inquit, millia ſena faber.

Vt cælem ionicas ego ſex adamante columnas:
Materiam præſtas ſi mihi, præſto manum.
Cui Sol: te ne locas, Diuûm turpiſsime, magno?
Te melior viuit quando redemptor, abi.
Qui cœlum, qui ſigna, ſuas ſic nouit vt ædes,
Inuideas quamuis, ecce, Philander adeſt.

Ad Gaurum.

Sis rhetor moneo, tibi non licet eſſe poëtæ,
Inuicta demens Pallade carmen inis.
Num ſcelus hoc grauius tentaſſe Typhoëa credas,
Dum monte vt telo concutit aſtra ferox?
Non temerè ex quouis finguntur numina ligno.
Quod vix aſſequeris, deſine, Gaure, ſequi.

Ad Ioach. Bellaium, poëtam celeberr.

Euterpe tua ter Permeſsi gurgite lauit
Carmina, ſic Smyrnæ cantibus æqua facis.
Tam bona ſi pergas, Bellaï, ſcribere, perdes:
Nam ſua dux ſacri dicet Apollo Chori.

Ad Ialentem, reprehenſorem inconſultum.

Biſſenas bis quinq; virûm ſeu pando tabellas,
Carmina ſeu pango, carpis vtrunq;, Ialens.
Indocti cenſoris ego faſtidia noui,

Ni ma

Ni malè quod faciat, nil putat esse bonum
Quod scribo, si non minio radiatur & auro:
At solet huic quidam floridus esse color.
Nil edis, quiduis laceras inglorius, & qui
Diruere id tentes condere quod nequeas.
Obsedit Tytion Phlegræis sydera castris,
Diruta num Tytion ædificare queat?
Quis te carpet iners? amittit talio vires.
In ius nemo vocat, cum reus obstat inops.

De se & patria.

Viuus oliuiferæ do famam vtcunq; Bliteræ.
Quam tamen inuitæ suspicor ipse dari.
Commendat rarus lector sua secula, ciues
Et proprios ciuis negligit, imò fugat.
Nam iuga riserunt proprium Rhodopeïa Martem.
Et Gortyna Iouem non nisi morte sacrat.
Viuida de tristi nascetur fama feretro,
Materiamq; odijs vnica vita facit.
Morte petat laudem miles, non scriptor inermis.
Ipse ortum patriæ debeo, non obitum.

Puellæ amatæ genium nosse expedit.

Aurigenam ex Danaë puerum qui sustulit olim,
Et Leda cygni nomine qui potitur.
Antiopam Satyrus, qui bos in littore fallit

Europ

Europam, prudens non'ne videtur amans?
Cuiusuis didicit mores geniumq; puellæ.
Huic pretium, huic cantus, sylua, rapina, placet.

Ad Alartum.

Dat moritura tibi muliebrem Lesbia mundum,
Hinc speculum, nardũ, Myrrhina pulchra capis.
Aspera vasa auro, mistisq; superba lapillis.
Quæ tibi disperdit mox pretiosa sitis.
Ausus erat fragili stellas includere vitro
Arte senex Siculus, Signiferiq; vias.
Sic auidus vini, vino data vascula mutans,
In vitreo mundum claudis, Alarte, scypho.

Clariss. Cotello magni Consilij Præsidi.

Scis æquum atq; bonum rigidæ præponere legi,
Lingua diserta tibi, mens quoq; recta valet.
Non Iouis in gelida lanx aurea iustior Ida
Librauit Danaûm fataq; summa Phrygum.
Te, præses Cotellæ, æquat clementia Diuis.
Iustitiæ virtus cætera semper inest.

Quòd succisiuis horis, sed suo Marte, versus scripserit.

Cum mihi ius ferias perpaucis cesserit horis,
Furtim epigramma facit tunc mea musa breue.
Meq; Sinonis equum, vario qui Pergama partu

Dardana vastauit, scribere iura vetant.
Aut doctæ Circes vitantem pocula Regem,
Qui patriæ fumum prætulit Ambrosiæ.
Non ego versuram facio de diuite vate,
Nec quod do gratis, fœnore soluo libens.
Nec vetus ut Cornix furtiuas induo plumas.
Qui dat quicquid habet, plus satis ille facit.

Ad Nellam anum.

Diues opum, sed mentis inops, & ditior annis,
Me cineres credis ducere velle tuos.
Ad coruos abeas, Hecubæ turpißima nutrix,
Num vis faucipremæ nubere me Lamiæ?
Concinnes tu philtra licet, sis Thessala, vultus
Omne tuus subitò diluet Hippomanes.

Transformatio Melissæ Nymphæ in Apem.

Floridus irriguo locus est confine salicto,
Estq; ferax vnà teneræ cum floribus herbæ,
Sed prohibet collis se longè extendere pratum,
Dignum Phryxei quo pascat velleris autor.
Forsan in hoc venit de agrestibus vna Napæis,
Quæ fuerat triuiæ dilecta Melißa Dianæ
Huic comes, et ductrix Driadū per Hymettia rura.
Quum radijs orbem sol aureus aspicit æquis.

Aestas

Aestas, ingeniumq́; loci, riuiq́; loquaces,
Inuitant, digitis flores vt carpat eburnis.
Pingens flammeolas Hyacinthi murice calthas.
Narcisso violæ nubunt, viror vndiq́; mirus
Illuxit pictis quas texuit illa corollis.
Tunc per amœna volans albisq́; Fauonius alis,
Auricomæ vt vidit gestus faciemq́; Melissæ,
Arsit, & auferunt solitas suspiria vires,
Atq́; agitata leui percreuit flamine flamma.
Quò magis vrget amãs, precibus minus illa mouetur
Non magis Aemonia frondens quàm pinus in Ossa.
Quodq́; nequit precibus Zephyrus, iã viribus ambit.
Exuit hinc auram qua floribus ante fauebat:
Induit accensus qua nubila torquet & æquor.
Acriter instabat, cum virgo flebilis æthram
Suspicit, & solem, quem sic mœstissima fatur:
Cynhie, qui lustras candenti lampade terras,
Eripe me inuitam probro, da, Phœbe, perenni
Virginitate frui, famulamq́; tuêre sororis.
Vt resonat Cygni pulsatus voce Cayster,
Sic arguta gemunt & latè arbusta queruntur,
Et curuæ valles, vocis quas cedit imago.
Exorat Nympha, & Phœbeo numine tandem
Fit volucris, tenues iam motat in aëre plantas,
Et coma ceu maculis auro squalentibus arsit.
Incessit Zephyrum querulo stridore procacem.

Quos

Quosq́; prius legit, fugit per gramina flores.
Sedula vere fauos mellito poplite fingens.

De Leriani latronis exitu.

Prætoris fugiens Lerianus latro cohortem
(Hunc timuit vulgus ceu Calidonis aprum)
Prò latebra densam subÿt formidine syluam,
Atq; antrum, Fauni credo fuisse lares.
Armarat natura locum, quem latro tuetur,
Quodq́; malè est ausus, fortiter exequitur.
Abstulit huic propriam sed fumi spiritus auram,
Prætoris voto, nec perit arbitrio.

Ad Probinam.

Ore Probina nites, vt lux, rosa, nix, ebur indum.
Candidior cum sis mente, Diana rubet.

Ad Guilielmum Bertrandum à Vilamor, libellorum in regia magistrum.

Obsecro vt sileas, & ne Attica mella loquaris,
Ni, Bertrande, chaos vis reuocare vetus.
Saxa mouere potes, rapidumq́; reducere flumen,
Et cœli aßiduas sistere voce rotas.
Sunt satis astra tui fama pulsata parentis,
Rapta tuo eloquio, vel miserere, cadent.

Ad

Nec retinere licet quo me malè deprimis orbem,
Heu rota qua Ixion voluitur, est leuior.
Speranti fallax, infida potentibus, atrox
Es miseris, si quos noxia nulla tenet.
Non tamen ipse tuo frangar, durißima, flagro.
Conscia mens recti vix temerata labat.

De Losandro malo medico.

Quot parit autumnus flauentes letifer vuas,
Prima quot & morbos ficus & vua ferunt:
Quot Persas Xerxes in Graios misit & Orcum,
Septima quot mortes purpura dat Marij:
Tot medicus perdit Losander, plus minus, ægros.
Lurida non illo plus aconita nocent.
Ismarium tellus tam non inflatur ob Hæmum,
Quàm tumet hoc medico relligiosus ager.
Communi tetricis cum parcis vtitur arca,
Diuidit his socia tristia lucra fide.
Charius haud ægris quisquã sua pharmaca vendit.
Vitam pro nummis exigit, atq; rapit.

De aulicis Henrici Regis Gall.

Excepisse deos nemoroso vertice fertur
Pelion, è cunctis lusit Apollo lyra:
Aula capit Regis totidem æquè numina Galli
Seu cupis apta armis, seu cupis apta togæ.
Dispice præfractos equites, dulcesq; poëtas,

Henrici, aut, dices, atria cerno Iouis.

Ad Leſtum.

Integer & fidus quò mi videaris amicus,
Edere me nondum ſcripta ſubinde iubes.
Sunt morientis, ais, plures in carmine vires:
Sic moneas Cygnum, qui ſua fata canit.
In ſeram nimiùm biſſena volumina mortem,
Quæ Maro diſtulerat deteriora vides.
Quære alium quem laus delectet poſthuma, Leſte,
Quæ poſt fata venit gloria, lenta venit.

Bertr. Sabbaterio, in ſenatu procuratori Regis.

Tutaris leges aſſertor publicus æquas:
Gratia nulla tibi plus ratione placet.
Scita ſenatus habent, ſcis hoc, vir Regie, ſcis hoc:
Præmia ne pretio quiſquam aliena petat.
Præſta igitur ne docta parẽs me academia perdat.
Medeæ facinus Colchidos auſa vetus.

De Cœli pulchritudine.

Quid varium magis eſt cœlo? quid certius illo?
Nil duce de miris pulchrius arte coit.
Aſſuetum ad munus lotus Sol mane recurrit,
Immemor haud notæ flammeus ipſe viæ.
Candida quid Phœbe centum formoſa figuris,
Quam citimam terris lux aliena decet?

Sider

Sidera quid referam Boreæ vicina rigenti,
Et vigil Hesperidum quo tepet igne draco?
Astrorum taceo vulgus sine nomine, miror
Tot flammis vri non potuisse polos.
Non adamas aurum've ligat pendentia signa,
Sed Deus, in terras ne labefacta ruant.
Ille est confusos serie qui digerit ignes,
Cœli animus. nutu quæ dedit astra mouet.

De Cupidine.

Vt melius sperent iubeo iucundus amantes,
Desinit vt volucer Cypridos esse puer.
Lumina dum Clytiæ contingere cæculus audet,
Arsit, vt accenso pinnula læua rogo.
Et solitus nymphas medijs accendere lymphis.
Nunc coquitur dominæ lentus ab igne meæ.

Ad Olermum.

Te post fata caue videat ne ianitor Orci,
Et tussim ante Hecates limina fac reprimas:
Allatret ne forte triceps te Cerberus: odit
Nam miserè furem cùm sit, Olerme, canis.

Iulij Pacati Medici peritiss. Epitaphium.

Mitibus immites Parcas qui flecteret herbis,
Iulius hîc medica nobilis arte latet.
Erecta nimiùm nunc mors ceruice vagatur,

Nunc impunè ferit, cum ſibi cuncta licent.
Nouerat is cœli mores, geniosq́; locorum,
Nouit ad Auroræ gramina nata pedes.
Adſtitit vt cœlo, collyria mira parauit.
Deſiit his claudus Lemnius eſſe faber.

De Dominico Gabræo Epiſcopo Lodouenſi, ad Nuncium.

Vade, vola, quæſite diu iam nuncie, ſerua
Gabræum, metuo præſul vt hic pereat.
Nam Phœbum amiſit nuper Parnaſsia rupes,
Hinc doctas lacrymis fons ſacer auxit aquas.
Ni cauet is, fiet doctarum præda ſororum,
Quem cupiunt Phœbo ſubſtituiſſe ſuo.

Oculus Dei omnia videt. ad Impium.

Feciſti occultam bipedum nequiſsime cædem,
Pro licito quicquid collibuiſſet habens.
Eſſe hæres puero dum vix ex aſſe ſecundus,
Porrexti gelidæ pocula Mandragoræ.
Fallitur, vt falli credit verſutia Diuos:
Ecce, reum læſæ te pietatis agunt.
Sic pœnas feritatis habet, fraudisq́; Lycaon:
A Ioue ſe factum quàm dolet ille lupum.
Nam non eſt ſceleri tutum prætendere murum,
Quanlibet huic montem pro clypeo obijcias.

Aëriæ

Aëriæ si Alpes, Garganus & Apulus obstet
Semper acuta Dei lumina, cuncta vident.

Ad Philomusum.

Venditus vxori multis, Philomuse, talentis,
Castoris & forma qua fuit alba soror,
Contrectas alias, nec te lex Iulia terret,
Quin studio vetitis insidiere thoris.
Haud eris armisono tu Marte beatior, vt non
Caßibus implicitum tædeat esse iocum.
Cur aliena rigas proprijs sitientibus arua.
Cum tua non serues, cur aliena rapis?

Gabrieli Minutio Ruthenensium Senescallo illustriss. & doct.

Mi puero superi Martem vidisse togatum
Concessere: tuum nempe videre patrem.
Trans gelidas qui iura dedit fortißimus Alpes,
Pro Francisco armis Lilia Rege tuens.
Princeps Tectosagi mox floruit ille senatus,
Te similem fausto sydere cum genuit.
Te talem admirans nuper Bellona, Minuti,
Vnde, ait, iste recens Aegida Phœbus habet?

De Iulio Cæsare.

Sanguine qui hostili totum repleuerat orbem,
Repleuit proprio Iulius ipse forum.
Gallica & Emathios qui euaserat ante Philippos,

 Inter

Interijt, iugulum ciue petente sacrum.
Concio mœsta Deûm sumpsit pro Cæsare pœnas,
Et genio sydus, mensis, & ara datur.
Sicq; nepos almæ crudeli cede Diones
Consilio ex hominum, transuolat in superûm.

De malis punicis & Clytia.

Quot nitidas flauo condunt sub cortice gemmas
Punica mala meis heu nimis apta malis,
Tot cruciat curis mihi cor mellita voluptas,
Quam Venus aut Veneris temperat igne puer.
Aliger an frustra metuo, ne fortè Cupido
Euolet à nobis, destituarq; miser?
Malus adoptiui non hæc sit adultera rami,
Nec nouus in Clytiæ pectore crescet amor.

De Pe. & Fr. à Garda & Sanijs, Senatorib.

Aequauit geminos legum duo culmina Celsos
Ex clara Sanius doctus vterq; domo.
Sic leo pugnacis generatur stirpe leonis,
Et nunquam ex Paphia fis, Amaranthe, rosa.
Nil opus est Aeæa patri Medea iuuentam
Cur recoquat: senior, nato imitante, viret.
Ornamenta togæ quantùm sint splendida, dicam,
Si Sanij, aut Diuûm numine fretus ero.

Ad

Ad Gellium Valleſtum, de rure eximio.

Rus tibi fertilius non eſt, Valleſte, paternum,
Quàm mihi, cum quæ rus educat, vrbe refers.
Mirificè placuit, quòd dixti Pana Lycæum,
Quod ſylua eſt breuius vere habitare nemus.
Te ſonus oblectat ſero redeuntis aratri,
Cui rubicunda leui ſole colona comes.
Incipiunt Phaëtontis equi reuocare iuuencos
Sub iuga, tunc fugit pendulus agnus ouem.
Non adeò fleuit Niobe Sipyleïa, quantas
Soli obiecta nouo vitis habet lacrymas.
Quàm recreat tremulas meſſor qui tondet ariſtas,
Claßica dum Cereris pulla cicada canit.
Audis diuiduæ gratißima murmura lymphæ,
Narcißi infelix tale fuit ſpeculum.
Nec lauri deſunt, quales vix nutrit Orontes,
Cuius apollineo germine ripa viret.
Poma, librosq́; legis, ſocios quos dixero mutos.
Vrbana hinc nobis ruſticitate places.

In funus Sargi Grammatici.

Non habet Elyſiæ Sargum vicinia ſyluæ,
Qui fuit imbutus vix benè Grammaticis.
Anguicomas nil ſcire docet per tartara Diras.
Pluto ſolœciſmos audit & ipſe libens.

Sic propera Solem luce nitere queror.
Crudelis nimiùm Titam audaxq; videtur,
Fulgeat irata nunc mihi quòd domina.
Ecce, sinum tenui rorat pulcherrima nimbo.
Cor lacrymis ardet, vallis eburna madet.
Iram flecte nouem voueo tibi, Cypris, olores:
Pacata hac, Martis non nego ferre minas.
Si semel vuidulos lenis detersit ocellos,
His poterit Solis vel superare facem.

Ad Sabidum.

Pirithoum quenuis, & quenuis Thesea dicis.
Nullũ amat, innumeros, Sabide, quisquis amat.

De Io. Daffi Senatore ad hospitem.

Si qualis fuerit Gallus vel Scæuola quæras,
Tu Daffin spectes, hospes, vtrunq; vides.
Suauis vterq; minus Daffi, non denego: sed mos
Non malus est priscis plus tribuisse viris.
Arbiter vt dicam folijs magè vera Sibyllæ,
Prætulit hos ætas, hunc lepor, æquat honos.

Laudem lucro præferri.

Ad gelidam ignotæ perducti Phasidos oram
Heroës, quàm sit laus pretiosa docent.
Aurea nam pretij memoratur lana pusilli,
Hanc emeret medio parua moneta foro.
Hanc ausi propter tenui se credere ligno,

Aequora cum pinus preßit aperta loquax.
Velleris vna comes iußit laus ſpernere letum,
Atq; alio claras viſere ſole domos.
Ob quæſtum ad populos mercator tendat eoos:
Cui decus eſt ingens, ſat facit ille lucrum.

Ad Caluidum ſui admiratorem.

Prætides helleboro fertur luſtraſſe Melampus,
Vtraq; dum vitio mentis aratra timet.
Implora huius opem: non plus te, Caluide, noſti,
Bucula quàm Præti, quam furor aſper agit.
Rhetora te credis Gracchis vix ore ſecundum,
Sic ego ſum pictor, ius ita Zeuxis amat.
Inflat imago tuum fallax ſed ſtultius vtrem.
Teq; putas magnum rana minuta bouem.

Sebaſtiano Chambræo, Corbiæ comiti ac abbati nobiliſ. cum Toloſ. veniſſet menſe Iulio, 1554.

His vtinam campis creſcat nimis hoſpita Lotos,
Dulichijs eſcam quæ dedit, atq; moram.
Atq; vtinam vitrei teneant te rura Garumnæ,
Aula ſat eſt ipſo Rege beata, mane.
Te, præſul, ſi forte diu præſente fruamur,
Elyſium nemo heroibus inuideat.
Delicijs certat cum Maio Iulius, ob te
Tardius his viſa eſt lux obijſſe locis.

De Aethna monte, Enceladi ſepulcro.

Fœcundam aßiduis & raucis ignibus Aethnam
Sicanio didici prodere mira ſolo.
Ima herbis, violisq́; viret, mœſtisq́; hyacinthis,
Dum rapit hos Cereris filia, rapta fuit.
Poſt flores æſtusq́; graues, in vertice cano
Spernentem flammas ſuſtinet alta niuem.
Enceladus tegitur tota ſub mole ſepultus:
Sic tumulum, flores, flammaq́;, nixq́; decent.

Ad Vindiam.

Abſit vt aſpiciam te, Vindia, lex vetat ipſis
Saturni in tabulis priſca, videre Deam.

Iac. Bernuyno Præſidi & præſuli.

Legibus atq; mihi, præſes doctißime, multa
Iure expenſa refers, officioſus homo.
Scis, metuo leges ne mî (quod abominor) abſint,
Et ne alius noſtra laude ſuperbus eat.
Libra ac ære tuum non tam me feceris, ac ſi
Non ſinis, vt, quod dant numina, tollat homo.

Cur viros ſat commendatos laudauerit.

Me clari potuere viri laudante carere,
Abundè vt clari, conſpicuiq́; ſatis.
Sed mihi fortè dabit ſimul hæc laudatio nomen:
Nomen & hæc alijs forſitan adijciet.
Sic, ſpeculum radijs Hyperion tangat acutis,

Dat

Dat ſpeculo flammas, auget & ipſe ſuas.
Se ſcripſit, magnũ dum ſcripſit Homerus Achillẽ,
Virtutem alterius qui canit, ille facit.

De Reſurrectione Domini.

Non prius æthereas Chriſtus remeauit ad oras,
Quàm tulit è ſtygia clara trophæa domo.
Perſephones videre nouum palatia Solem,
Atq; auro vinctæ liuida colla necis.
Delia Pæonijs vitam tibi reddidit herbis,
Virbie, Cretæis dilacerate dolis.
Sed Chriſtum nemo, niſi Chriſtus, morte reduxit.
Suſcitat haud quiſquam ſe, niſi cuncta poteſt.

Præſentia cuiuſq; domini ægro & equo multum conducit. Ad Caurum.

Depoſitam tellus vix reddit, Caure, ſementem,
Et factum nullo fœnore penſat opus.
Cum ſterili luctatur agro, mœretq; colonus.
Frugifer at fiet, ſi reſipiſcis, ager.
Si ſæpe hunc adeas, alio nec numine fruges
Triptolemus, Cereris munera prima, dedit.
Viſebat iunctis proſciſſa draconibus arua.
Pes domini fundum nutrit, ocellus equum.

Ant. Hebrarto Roqueuillæo Senatori.

Nobilitas ſi non Hebrarto à ſtirpe fuiſſet,

Pro illuſtri virtus nobilitate foret.
Patritio proauum quantunuis ordine præſtans,
Adijcit ad priſcos, neſcio quid, titulos.
Lucida gemma ſat eſt eöæ filia ripæ,
Lima ſed hanc docti mox polit aurificis.
Hebrarto eſt grauitas hilarix, largitio frugi.
Hæc Muſa vt dixit, mox Helicona redit.

Ad Phaleronem.

Difficiles, Phalero, ſtyli venaris honores.
Occultis nimium ridiculiſq; libris.
Ac ſi plectripotens oracula fundat Apollo,
Scilicet expectas ſcripta ſuperba legi.
Talis inexpliciti Heracliti pagina lecta eſt,
Quo duce rerum ignis ſe putat eſſe ducem.
Oedipus en dicit, quidnam Sphinx maſcula captas?
Nonne ſub obſcuro cortice vana tegis?

Hiſtoriæ vtilitas.

Et Troia & doctæ quid ſunt niſi nomen Athenæ?
Hiſtoriam tollas, hoc quoq; nomen abeſt.

De inſignibus lunæ creſcentis Henrico II. Gallorum Regi proſperè conſecratis.

Quòd ſacra dimidiæ præfert inſignia lunæ
Henricus, placuit pulchra Diana ſibi.
At contrà indignans Hyperionis aurea proles,

Dign

Dignus, ait, radijs Rex fuit iſte meis.
Cui Soror: vt meritis accedant ſymbola, mundum
Principis in clypeo pingere, Phœbe, decet.

Indictas de iure ciuili diſputationes iam in XVII. menſem differri.

Dulcibus interpres ſocijs dum iura tot annos
Explico, ſiſyphius creditur eſſe lapis.
Aut capiti impendens ſaxũ quod Tantalus horret.
Sane opera hæc dulcis, fit diuturna grauis.
Extremum merces ſequitur ſi nulla laborem,
Præter apud varios inuidiam atq; decus:
Quin aliò ſaltem curas traducimus? hoſtis
Eſt vtcunq; pius, quando repente necat.

Bacchum facile Venus ſequitur.

Aurea mercedem geminæ Carcheſia noctis
Alcmenæ accepit concubitura Ioui.
Quáq; manu fulmen per ſumma Ceraunia torquet,
Hac dat adulter opes, feſte Lyæe, tuas.
Pocula multiplici cælârat Mulciber hydro,
Horrebantq; ſuum mitia vina decus.
Hæc mundi dominus cum munera præbuit ardens,
Monſtrat vt eſt Bacchi ſemper alumna Venus.

Subſcr

Subſcriptum Thematis de iure ciuili triduum Tolo. diſputatis Idibus Martiis. 1543. Ad Lectorem.

Hæc quæ perueniunt in ora vulgi
Si non deſpicias, benigne Lector,
Gratam rem facies & vſq; gratam:
Nam me pertrepidum metu leuabis.
Munus non deerit piæ viciſsim
Quod reſpondeat approbationi:
Centenos capies tibi vniones,
Quos nobis pelagus dedit ſuperbum,
Et quos mollis Arabs refert odores,
Medorum've nemus, quot Hermus aurum,
Tot fuluæ numeros dabo monetæ,
Quot nox enumeret ſerena flammas.
An vis pollicitis adeſſe pignus?
Cur? cum tuta tibi perinde fiant,
Si non liuor edax modò repellat,
Hæc quæ perueniunt in ora vulgi.

Subſcriptum poſitionibus triduum itidem Tol.diſputatis.v.Cal.Decem. 1547. Ad Herculem.

Alcide, exuuias peto leonis,

Has

Has da, ſi pudor eſt, rudemq́; clauam.
Arcum da & celeres decem ſagittas.
Cur tandem? triduo paratur ingens
Certamen, metuo puſillus illum
Ceruum cornibus aureis nitentem,
Atq; Hydram toties repullulantem.
In nos Heſperidum draco reſurget,
Tot me monſtra ſinunt minus quietum.
Si non iuueris, Hercules, peribo.
Quid? tu durus opem mihi recuſas?
Nil curo, clypeum Minerua cedet.

Inconſtantia felicitatis.

Vere cadunt violæ, Phœbo ſacer atq; Hyacinthus.
Sic, quæcunq; placet, protinus hora fugit.

F I N I S.

Ελπὶς ἄνευ ἐλπίδος.

